




Agosti, Geron. Duvero



HIERONYMI OLIVERII AVGVSTI BERGOMAtis Phisici, Poëtæq́ꝫ Laureati.

DE IMPERIO ROMANO, IN pristinam Gentem & dignitatem restituto, LIBER vnicus.

EIVSDEM, DE PARTITIONE ORbis: Libri quattuor.

ADDITA EIVSDEM NONNVLLA EPIGRAMMATA.





AROLVS QVINTVS DIVIna fauente clementia Romanorum Imperator Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, vtriusq; Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatię, Croatiæ etc̃. Rex. Archidux Austriæ. Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c̃. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis &c̃. Erudito nostro & Imperij sacri fideli dilecto Hieronymo de Augustis poëtæ Laureato, Gratiam nostram Cæsaream, & omne bonum.

Quemadmodum apud veteres in bello, qui vel murum primus ascenderat, vel ciuem morti subduxerat, corona vel murali, vel Ciuica donabatur. Ita digna visa res est, vt ingenijs ac rerum scriptoribus suus honor ac dignitatis gradus statueretur. Et quoniam carminis vsus oratione soluta antiquior existimatur fuisse, non immeritò antiquitus vsitatum est, vt qua Ductor exercitus ob victoriam corona decorabatur, Poëta quoq; ob memoriam rerum quam scribendo fecisset, æterna fronde Lauri ornaretur, tanquàm meritũ vtriusq; par esset. Illius quod egregiè bellũ gessisset, huius quod egregiè gestum ab iniuria obliuionis assereret. Hũc morem nos Diuorum Imperatorum prædecessorum nostrorum exemplo seruantes: ut ornata aliquando virtus tua acrius in posterum se extolleret, & ad fortium Heroum laudes celebrandas vlterius inuitaretur. Attendentes ingenij tui candorem, & artis Poëticæ peritiam ac venę fęlicitatem, cuius amplam apud nos degustationem dedisti. Proinde animo deliberato ex certa sententia & autoritate nostra Cæsarea te prænomi-

natum Hieronymũ de Auguſtis, per Laureæ impoſi-
tionẽ Poëtam Laureatũ fecimus, creauimus, ereximus
& inſigniuimus, ac tenore pręſentiũ facimus, creamus,
erigimus & inſignimus volentes, & eadem Imperiali
autoritate decernentes, vt tu præfate Hieronyme ubiq;
locorũ & terrarũ pro vero Poëta Laureato reputari, et
teneri, & deinceps quibuslibet honoribus, priuilegijs,
libertatibus, gratijs & prærogatiuis gaudere & potiri
poſſis, et valeas, quibus cęteri Poëtę Laureati gaudent,
fruuntur, & vtuntur conſuetudine vel de Iure, contra-
dictione & impedimento ceſſantibus quorumcunq;.
Quocirca mandamus vniuerſis et ſingulis principibus
Ciuitatibus, cõmunitatibus, Vniuerſitatibus, ac cæte-
ris noſtris, & Imperij ſacri ſubditis, & fidelibus, cuiu-
ſcũq; ſtatus gradus cõditionis aut dignitatis extiterint,
vt te pręfatũ Hieronymum de Auguſtis hac quam tibi
largiti ſumus dignitate, & prærogatiuis, ac inſignibus,
et officijs eius per totum Romanum Imperiũ & vbiq;
locorum frui, & gaudere permittant. In quantum gra-
tiam noſtrã caram habeant, ac præter noſtrã & Impe-
rij ſacri indignationẽ, pœnam decem Marcharum auri
puri cupiant euitare, quarũ medietatem Imperiali Fi-
ſco ſeu Ærario noſtro, reliquã vero partem iniuriã paſſi
vſibus, toties quoties contrafactũ fuerit decernimus ir-
remiſibiliter applicandam. Harum teſtimonio literarũ
manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri impreſſio-
ne munitarũ. Dat: in ciuitate noſtra Mediolani, Die
vigeſima quarta menſis Auguſti, Anno Domini Mil-
leſimo quingenteſimo quadrageſimo primo. Imperij
noſtri vigeſimo primo. Et Regnorum noſtrorum vi-
geſimo ſexto.

SERENISSIMO PRINCIPI PHILIP-
po, Diui Caroli Quinti Imperatoris Maximi
Inuictissimiq; Filio vnico, Hierony-
mus Oliuerius Augustus.
S.



ON sine gratia, ac veterum exemplo, receptus mos est, Inuictissimi ac Clementissimi animi Rex: vt qui ocio magis quàm negotio idonei essent, et ad scribendum quàm agendum promptiores haud pari fortuna vitam agerent, hi se librosq; suos ingeniorum fœtus patrocinio & auctoritati eorum, qui in rebus gerendis magni clariq; haberentur, committerent: vt ab illis suscepti auctiq; veluti mutuata dignitate iuuarentur. Necq; vicissim rerum gestarum autoribus scriptores inutiles fuère: nam quum eorum facta in occulto esse nõ sinant, ad benè prẹclareq; agendum illis animum addiderunt. Ita scribendi vis, agendiq; mutuò grataq; vicissitudine coalita ac sustentata, maior impendio se ipsa euasit. Ego quocq; quum huic literario ocio apprimè deditus fuerim, Cæsarisq; rerũ gestarũ admiratione captus, Librum de Imperio Romano in pristinam gentem et dignitatem restituto carminibus conscripserim, neminem te vno potiorem habui cui dedicaretur. Quis enim Cæsaris nomen libentius legeret? quis de laudibus illius & gloria disserentem maiori cum alacritate auscultaret? quàm filius? Et is profectò qui maximè alienus esset ab Alexandri Macedonis vitijs superbia ac temulentia, quibus ille percitus patris Philippi laudatorem amicum in conui-

uio trucidauerit. Quanquàm tu quidem Philippe fortissime omnium simulque prudentissime Rex, non Alexandri Magni mores vel fugiendos vel sequendos præ oculis vt habeas oportet: neque virtutis aliundè exempla tibi petenda sunt: quum ex familia maioribusque tuis præstantissimis Regibus atque Imperatoribus, ac nunc potissimum ex Patre Cæsare clarissima viuaque virtutum omniũ Imperialiumque ornamentorum documenta in dies haurias. Tuque ita natura diuinoque Numine institutus sis, vt benè agere pronum tibi facileque ac liberum sit. Etenim Reges in manu Dei sunt, & illis plerisque nascentibus diuinissimum aliquod præter cætera Numen attribui, quo regantur, ac regant, persuasum est: vt sequens Epigramma testatur in filij tui natiuitatem, iam tum à nobis editum, quum natum tibi puerum ceu sidus Hesperijs effulsisse auditum est: Quod sic habet:

In lucem puer emicuit, quo pulchrius astrum
  Idalio nunquam prodijt è gremio:
Formosoque datus custos pulcherrimus vni
  Supremum irradians Spiritus ante Iouem.
Spiritus Hesperiæ regnis delecta potestas:
  Crescat, & Hesperiam seruet vtramque Puer,
Et quum iura dabit, populis quum bella mouebit,
  Præsenti assistens numine cuncta regas.

Sed vt ad institutum redeam, hos meos labores & quicquid hoc est operis numini tuo Rex dicamus: Patrisque tui laudes tibi consecramus: quibus equidẽ ve-

rerer magis offudisse tenebras quam lucem attulisse, sed quæ per se illustrissimæ sunt atque immensę, vt à me nec illustrari nec augeri, ita pariter nec obscurari neque minui potuerant. Illum etiam nolim in animis cuiusquam scrupulum ac suspicionem relictam iri: non ex conscientia me, sed assentandi causa inductum fuisse. Imò ego vestra ope & gratia qua nil homini hac tempestate optabilius euenire posse arbitror, libenter carerem potius, quam vllis ansam merito existimãdi darem, me tanquam tibicinem quendam, aut buccinatorẽ, gratiæ lucriúe spem aliquam, non verum sanctumq́ue spectasse, quantum poëtice ratio postulabat:
quæ veris falsa, sancta profanis,
varietatis interdum ornatusq́ue causa commiscere gaudet.

Principium in rebus vnumq́ optabile ſummum eſt,
Ac generis veluti gloria apexq́ ſui.
Sic auro aſſurgunt Veneris Lunæq́ metalla:
Sic Homo viuentum continet omne genus:
Sic genus humanum admirans te maxime Cæſar
Suſpicit ò ſæcli gloria apexq́ tui.

DE IMPERIO RO-MANO IN PRISTINAM GENTEM & dignitatem restituto, Liber vnicus: Palinarchia.

IActatum Imperium canimus, reuocatáque regna
Romuleam in gentem, Diuumque ut iussa secutus
Austrius afflictis rebus sucurrerit Heros.
Rex qui terrarum libras fundamina, & alma
Luce sedes, circum rutila caligine sæptus:
A`quo principium est, in quem se versa resoluunt
Omnia: quique Patrem fidis mortalibus æquum
Concilias, iustosque facis cœloque potentes:
Quæ tantæ campis acies? quo crimine diris
Exarsisse odijs tot feruere bella dedisti?
An genus electum atque æterna mente repostum,
Ter quater ut fusum liquidis fornacibus aurum,
Tentari interea placuit? cœloque probari?
An vitia exagitas? & ferri vindice virga
Castigas? an quæ tantorum causa malorum?
Vt sacrum Imperium Romanaque frangere Sceptra
Vndique certatim totus concurrerit orbis.
Hinc belli nimbus pluuio conflatus ab Austro:
Illinc horrendum septem intonuêre Triones:
Romanosque apices quassans tulit ærea grando:
Nunc Oriens furit insultans: nunc omnibus armis
Ingruit Occasus: decus hoc auertere terris
Ausonium connixi omnes, & perdere ferro.
Hos noua permouit clarantis gloria belli

Hos prædæ studium, furijsq; agitata libido
Vindictæ stimulat, veterisq; iniuria damni:
Hi fato, rerumq; vicem ducentibus astris:
Hi meliore solo, & mitis dulcedine Bacchi
Illecti: ast alij cœli leuioribus auris:
Inuasere nouas sedes, turbasq; ciere
Imperio ingentes: alij, (qui plurimus ordo est)
Sublati scelere, scelerumq; autore superbo
Dæmone, & armata flammis hortante Megæra:
Imperij spreuere animis mandata rebelles:
Et quos oppetere, aut stricto consistere ferro,
Romana decuit pro Maiestate feroces,
Mutauere fidem, & contra valida arma tulere:
Aut coniuratum procul exciuere Tyrannum,
Immanem Christi & Romani sanguinis hostem,
Crudeles: & pressa graui non pondere tellus
Hiscit? & immeritis aperit Sol lumina terris?
Quum tamen Augusto fuerit non sanctior vlla
Imperio, aut olim Superis tam nota potestas:
Quippe quod exactis Itala virtute tyrannis
Creuerit, inculto leges descripserit Orbi,
Et Diuis Cœlum, & sacras altaribus ædes
Auxerit, atq; pios domina ditauerit vrbe.
Imperium Deus ipse dedit, Deus omine sanxit
Æternumq; coli statuit, quum Cæsare terras
Principe respexit celsa miseratus ab arce:
Et quum factus homo, ac vitalibus editus auris
Audijt Imperium, atq; emisso primus in orbem
Paruit edicto, signataq; Cæsaris æra
Cæsaribus, reddiq; suos mandauit honores:

Nec cessere Deo tamen, at fatalibus ausi
Se conferre aquilis, infestaq́ꝫ tollere signa:
Hinc toties fuso manantes sanguine riui:
Hinc desolati cæsis cultoribus agri:
Tot populi, magnæ quondam tot funditus vrbes
Interière: nec Imperij perculsa potestas
Occubuit: sedet hæc adeò semperq́ꝫ sedebit
Auferet arreptum donec vapor vltimus orbem:
Illos excidium tanquàm Camerina mouentes
Stagna, manet, bello Imperium quicunqꝫ lacessunt.
Nam neqꝫ Cherusci, aut proceri impune Britanni
Defecère: nec auersis manus aspera telis
Romanos tam sæpe suo sine sanguine fudit:
Iudæum extorrem patria, regnoq́ꝫ carentem
Fluxaq́ꝫ fides, duræq́ꝫ innata superbia genti
Cladibus affecit meritis: tum Caspia claustra
Finibus effusus Scythicis perrupit Halanus:
Tum pacare auro Dacos Romana perenni
Instituit desueta cohors peruincere ferro:
Nunc tantæ penè absumptæ cum nomine gentes.
An memorem Cattos? infidaq́ꝫ pectora quondam
Marcomanos? referam Persas, qua cæde suorum
Imperio victor subduxerit Artaxerses?
Aut ferus insultans victis in terga sapores?
Cyzicon inuecti populataq́ꝫ littora Thracum
Atriuère Scythæ, atqꝫ Asiam terroribus omnem
Compleuère, nec exiguo cessere cruore.
Hinc veluti ingenti circum voluente procella,
Quas non Imperij terras truculentus obiuit,
Afflixitq́ꝫ Geta? & tum Marte resedit iniquo.

Fœmina quinetiam Romanum euadere ſceptrum
Haud verita eſt, ſolis Arabum dum regnat arenis
Zenobia; & Syrijs incumbens Mamia regnis.
Hac vexata tenus ſteterat tamen inclyta virtus,
Quum res emotæ Æneadum, & fortuna labare
Incipit, & iam iam verſis procumbere fatis;
Quæq; ſcelus pertæſa Ducum Romana ſuorum
Nuper in externos fuerat collata poteſtas,
Mox etiam curibus, fataliq; vrbe relicta,
Proh dolor auſpicijs monitisq; inducta ſiniſtris,
Helleſpontiacas longè migrauit in oras;
Diuiſum Imperium, deſolatiq; Latini;
Quum ſubita ex alto rumpens aquilone ruina,
Italiæ & Regum matri in caput incidit vrbi;
Ipſe valens trucibus Thraco congreſſus in agro
Viſigothis, pugna diuus fraudatur iniqua,
Hoſtiliq; manu comprenſus & ignibus ardet.
Olli Thraicijs campis, Rhodopeq; vagati,
Pannoniam ingenti tenuêre examine, & oram
Illyricam; populant Carnosq;, & Norica regna;
Tum rapidi gentis coëunt in fœdera Reges,
Et Radagaſſus atrox armis, & Alaricus ingens,
Italiam inuadunt, nec vis aduerſa retardat;
Quin penetrant montes, obiectaq; flumina tranant,
Ferreaq; Auſonidum perrumpunt limina, & vrbem
Vrbem olim donis Orbis ſpolijsq; refertam.
Quum vero extremæ diris exauſta rapinis
Barbarie, exacto iam reſpiraret ab hoſte;
Ecce iterum Gothicis circumſiſtentibus armis
Obruitur, grauiusq; ſuis illa inclyta Roma.

Auxilijs frustata cadit, cadit Itala virtus.
Interea Sueuis socijsq́ instructus Halanis
Vandalus, immissa per Gallica culta phalange
Ibat, & Hispanos fines Libycosq́ petebat
Victor, ouans latè flammis, & cæde cruenta.
Nec Romana quidem regno se tuta Byzanti
Arma diu tenuêre, nouaq́ interrita sede;
Namq ab Hyperboreis vrgens exercitus Vnnis
Altus equis, Athilamq́ ducem fratremq́ secutus,
Illyrios, Mysosq́, & iunctos ordine Thracas
Vndiq vastabat, campoq́ agitabat aperto:
Vnà omnes Gepidæ, Turcilingiq́, Rugiq́,
Quiq Italas ductu terras Odoacris Heruli
Obsedêre: miser positis Augustulus armis
Deserit Imperium: nec res ea cessit Herulis
Læta diu: sed dira manus inferre cruentas
Barbaries tunc orsa sibi, & se perdere pugna:
Namq Theodoricus, quo non præstantior alter
Barbarus, euersisq́ Italum pacatior oris,
Ductor ab Ostrogothis populis excitus, in hostem
Mouit, & oppressum Latio deiecit Herulum.
Vandalicis etiam patuit Romana rapinis
Vrbs, non Imperij sedes, sed meta superbæ
Barbariæ; qua decurso contenderet Orbe
Omnis, & effusis se concita ferret habenis:
Scilicet Oceano extremo Codanoq́ relictis,
Huc, vnam vt caperent ruerentq́ à stirpibus vrbem,
Diuersi properare duces: ea præmia cunctis.
Vandalus aduectus Libya semel vrbe potitur:
At Totilas captam incendit, rursusq́ receptam

Instaurat, postquàm ira Gotho restincta furenti,
Tu quoque non vnam Latio Peninsula pestem
Scandia ad extremum Boream summota tulisti:
Quum Longobardi, Codanum & Boralia citra
Æquora prouecti populi, ferroque secantes
Qua libitum est iter immensis decurrere terris,
Pannoniæ in campo cursum tenuère, fugata
Barbarie, quæ prima nouis consederat agris:
His dictu infaustum & nulli feritate secundum
Mos erat, in cæsi stratum sæuire cadauer
Hostis, & exemptam pateræ confingere in vsum
Caluariam, cranioque meri se immergere pleno:
Inde per absumptam ferro flammisque vagati
Italiam, regnum tenuère insubribus aruis:
Nunc quoque nomen habent terræ: sed sueta rapinis
Effera gens, longèque intunsum pascere crinem,
Aut terris deiecta Italis, aut perdita bello est,
Aut Longobardi si quicquam sanguinis olim
Connubijs potuit nostris inolescere mixtis,
Ingenium cœli aspectu mutasse benigno
Crediderim, sociaque animos comitate feroces.
Denique Normanis penitus vastata vocatis
Concidit vrbs: crepitant flammis, atque ariete crebro
Tecta ruunt: cita puluerem dant rudera nubem:
Tum vero dignam Imperio deperdita formam
Amisit, veterumque illud decus excidit omne.
Nec minus Imperium trepidis Orientis in oris
Turbatum, & sacra deiectum sede Byzanti:
Quem casum longè metuens, prudensque futuri
Spiritus, augusti Imperij cui credita summa est,

Erigere occiduis Romana insignia Gallis
Præuenit: ferrí'q; retro permissa Bizanti
Imperia, & varias pugnando insurgere gentes.
Ecce graues iaculis Persæ, mare & vltima Tygris
Flumina linquentes, magnam'q; Semiramis vrbem,
Assyriam inuadunt, atq; acri milite circum
Funduntur Solimam: nec longo temporis actu
Expugnant: oram'q; Asiæ ditione prementes
Australem, subeunt septemplicis ostia Nili:
Deditur Ægyptus, victoribus Aphrica Persis
Deditur: Augustæ quondam res vndiq; fractæ.
Excipit hanc noua Thraicij fœdissima clades
Imperij, latè Libyam quæ strauit, & omnem
Ægyptum'q;, Asiam'q; & Romula reppulit arma:
Quum Nabathea phalanx, Petra'q; emissa iuuentus,
Quæq; sub Heraclio pubes Saracena merebat,
Imperij fregêre iugum: & sibi rege vocato
Maumetha, quo non stygijs emissa tenebris
Tetrior Eoas vrbes inuasit Erynnis,
Principio Persis captas victoribus vrbes
Eripiunt, ipsos'q; ingenti cæde fatigant:
Inde per immensas magno ceu turbine terras
Delati, Libya atq; oris potiuntur Iberis:
Hinc ratibus simul innumeris, & classe parata,
Protinus obsessum terra'q; mari'q; Byzantum
Continuêre diu: sed tum clarissima fatis
Vrbs defensa, manus alij ventura sub hostis.
Nec requies, missus Scythicis sed Bulgarus oris
Thraicios fines magno rumpente tumultu
Ingreditur, superat'q; acie, & tum fœdere pacto

Vtraq; pacatæ cessit data Mysia genti:
Nec cohibere diu dextras potuêre nocentes.
Nec veriti Assyriæ serui insultare Comani.
Atq; ea ludus erant, quum fonte grauissima rerum
Pernicies fluxit Scythico: postremaq; Parcæ
Eoo Imperio deuoluere fata parabant:
Hinc genus obscurum Turcæ, quos Sarmatis ora
Caucaseos inter montes, syluæq; tegebant,
Effusi, primos ritu torrentis Halanos
In præceps rapere, & Colchos euertere, & omni
Armenia ingentes Otomano Rege vagari:
Inde opibus pariter, Saracena & fraude recepta,
Fœdere compositi, & geminatis viribus aucti,
Irrumpunt Asiæ fines, Trapezuntia frangunt
Imperia, atq; omnem terram ad Propontidis æquor
Arripiunt, Paphlagoniam, Bithynaq; regna,
Æoliam, Phrygiasq; duas, Lyciosq;, Carasq;:
Iamq; Byzantino Græci parere negantes
Imperio proceres, equitum trans æquora turmas
Turcarum mercede vocant, primiq; vocatos
Senserunt hostes: ac tum parere subacti:
Græciaq; infidos merito ergo infida tyrannos
Accepit, pedibusq; impuri aduoluitur hostis:
Ipsa etiam Constantino quæ principe sceptrum
Ceperat vrbs, Constantino sub principe capta
Deperit, heu quanto postremum euicta cruore.
Dum Turcæ Europę atq; Asiæ ceruicibus instant,
Auspicijsq; suis & amico Marte feruntur,
Imperium in Gallis tutos non usq; receptus
Repperit: abductum sed enim successit ad oras
Teutonicas:

Teutonicas; lectisq; viris seruire coactum,
Quod dare iura mari terræ dare iura solebat;
Donec in Ausoniam longo post tempore gentem,
Romanosq; suos fato voluente reuersum est.
Ergo iterum notam ad sobolem tot casibus actum,
Tot lacerum bellis rediit, carosq; nepotes,
Montis Auentini Comites; quibus Austria tellus
Paret, & hinc sumptum vertit domus Austria nomen;
Romula barbarico quoniam quassata tumultu
Mœnia quum caderent, & longa strage supremam
Æneadum genti properarent fata ruinam;
Tum gemini Fratres, quo semine Romula virtus
Et genus, & prisca imperij seruata propago,
Deseruêre domos, patrias, & cladibus vrbem
Expositam varijs, ac seditione labantem;
Conuersiq; vale, uale, ô pulcherrima rerum
Roma diu, & veterum effigies dixêre parentum,
Petre, Leo, Stephaniq; parens, qui Maximus inter
Nomine Romanos fueras, & robore princeps;
Et quem Cæsaribus primis ab origine iunctum
Fama refert, veterum seriem quæ censet auorum;
Nos procul ignotas profugi decedere ad oras
Cogimur, & longè cara diuellimur vrbe;
En patria, en qui nos dulceis aluêre penates,
En aliquo fuimus qua non sine nomine colles;
Nunc ea sunt oculis, ea nunc dilecta supremum
Cernimus. hanc vocem gemitus lachrymæq; secutæ;
Olli contractis opibus atq; ære coacto,
Arripuêre viam Rhetas quæ monstrat ad Alpes;
Et iam Vindelicos fines dictosq; Lucernæ

Deuenêre lacus, primas vbi condere sedes
Saltibus atq; aruis illic cœpêre coemptis,
Tum memores patriæq; domus terræq; relictæ,
Vrbe ab Auentina deflexa voce, dederunt
Nomen Auenburgo, quàm primũ his finibus vrbem
Erexêre, suis ac tum data mœnia terris,
Atq; ita Germanæ paulatim inolescere genti
Romulei fratres, quorum sibi comparat alter
Insignem formaq; & nobilitate potentem
Indigenam vxorem, fortunatisq; Hymenæis:
Nominis istius princeps Albertus in auras
Vitales venit: quo mox genitore creatus
Primus ad Imperium (sic Numina sancta ferebant)
Accitus validas rexit Rodulphus habenas:
Hunc loca Danubij Drauiq; humecta fluentis
Accepêre Ducem, regnataq; gentibus arua
Austrarijs, Codano qua consedêre relicto:
Ex illis tellus, ex hac Domus Austria dicta est
Maxima, Auenburgi Comitis cognomine misso.
Nec mihi sat memorare animi, quos illa decoros
Imperio, & pietate viros, quos fortibus armis
Illustres tulerit: quis enim satis ore canoro
Digna tot Albertis referens præconia condat?
Quis satis Othonem? quis propugnacula terræ
Christicolum merita Fridericos laude coronet?
Salue prisca Ducum soboles: domus inclyta Regum:
Induperatorum longa clarissima prole:
Leopidum Hernestumq; pares virtutibus almis:
Semideos tu læta creas: te maximus ille
Consilio & grauitate Pater lætatur alumna

Maximianus, & inuicti vis alta Philippi:
Nec gemini fratres, qui nunc duo lumina Mundo
Clara micant, magnam non te agnouere parentem,
Carolus, egregiis & Ferdinandus in armis
Conspicui, pariterq; Deum mandata tuentes,
Commissumq; orbem: dirarum ex ore furentum
Dum populos, magnoq; gregem sudore receptant.
Qualis in Hercinia quum pastor ouilia sylua
Aut nemore Ardennæ, aut frondosi in colle Lycei,
Seruat agens: circumq; genus fremit omne ferarum:
Ille pedo innitens, malè tuta perambulat arua,
Albanumq; canem, & validos immittit Iberos,
Infringitq; minas, Abigæosq; impiger arcet.
Qualis & obsessum monstris immanibus Orbem
Liberat, & meritis implet loca cuncta tropheis,
Arctum ingressus iter cœlo Tyrinthius Heros.
Talis & Imperio, & sceptris innixus auitis,
Omnia quum streperent, bello Procerumq; furori
Incumbens res humanas vetus atterit Hostis,
Imperii causam, atq; euersi Carolus orbis
Suscepit, sanctamq; fidem, populosq; tuendos.
Hic maris & terræ sæuos meminisse tumultus
Est animus, notos nimium mihi sæpe labores:
Sed quis erit memori lachrymis modus? unde malorũ
Principium, & scelerum tantorum exordia sumam?
Stabat enim grauibus ferro præcinctus in armis
Fulmineus Mauors: congestaq; funera tota
Italia immissis furiis edebat, & altas
Scindebat vetitum sternens iter hostibus Alpes:
Nullum erat Imperium: sacri Ducis irrita iussa:

Vrbs vrbem vexare, domum domus, acta furore:
Hic varias in bella manus Insubribus aruis,
Hic rapit infestos populos: gemit vndiq; tellus
Italiæ: tristiq; furit sata Nocte propago:
Sunt etiam Gallis, sunt & sua funera Iberis:
Nec semel amissam qu æritur Germania pubem:
At pauidæ in tectis deserto limine matres
Stant flentes, natosq; procul fera bella secutos,
Deiectasq; solo, consternatasq; cohortes
Expectant: ac voce Deos venerantur inani:
Illæ etiam summi prospectum è culmine tecti
Sæpe petunt, reditum videant si forte ferentes:
Ah miseræ, & vanis implent supera æthera votis.
Interea morientum Italis, & dira gementum
Auditur fragor in campis: tonat ignea cœlo
Machina: concussæq; ruunt à vertice turres,
Quis satis Ausoniæ casus? quis tristia possit
Supplicia, & tanti memorare incendia belli?
Fulminis in morem rapidi ruere omnia latè
Certatim, & duri imperio res cedere Martis,
Fit fuga, debacchante procul prædone per agros,
Informes resident terræ, direpta cremantur
Villarum stabula alta, volant ad culmina flammæ,
Ac modo qui fuerat Dominus florentis agelli,
Infelix vinclis & belli fraude tenetur,
Tum cuneos clauosq; audit, tormenta parari
Dira sibi, & surdas gemitu nihil afficit aures.
Nulla pudicitiæ species, nec gratia iusti,
Nec suus est templis honor, aut pietatis imago,
Ast alij raptas sceleris turpissima forma

Matronas ad ſtupra trahunt: quum protinus illæ
Diſcindunt crinem, fœdant tenera vnguibus ora,
Diſcurrunt alij in ſaltus, & ſtrata viarum,
Ah quoties miſer offenſo latrone viator
Palluit, & calidum exacto dedit ære cruorem,
Hinc ad tecta ruunt, validos nec ſuſtinet ictus
Ianua, rupta ſonant crebra tabulata bipenni
Exangues intus trepidant matresq́; , viriq́;,
Et longis iterant flentes ſingultibus Eheu.
Quid loquar euerſas immiſſis hoſtibus vrbes?
Templaq́;, & abſumptos flamma populante penates?
Quid miſeros toties odijs & crimine falſo
Mœrentis patriæ deiectos limite ciues?
Aut furijs feſſos ſæui ingluieq́; tyranni?
Quos dare pro ſulcis, tectiq́; canalibus ingens
Infecti pondus factiq́; edicitur æris,
Atq; moræ indictas vel ſanguine pendere pœnas,
Illi ſponte nouas ſedes ſibi quærere, parto
Exilio, patriamq́; & dulcia linquere tecta,
Deſolati, inopes, animisq́; & rebus egentes.
Quid memorem pœnas, & lœtiferos cruciatus?
Vtq; aliqui hamatis mento tollantur in vncis
(Supplicij genus) affixi laquearibus altis?
Aſt alios clauis diuerſa in parte refixis
Quattuor intendant per humum (miſerabile viſu)
Viuentesq́; ſecent, ferroq́; trementia vellant
Viſcera? nec ſimplex alijs morsuе́ omnibus vna eſt.
Dij quibus humanæ gentis cuſtodia quondam
Credita, ſi nondum vitijs clementia cœli
Succubuit noſtris, penitusq́; euicta receſſit,

Respicite Italiam: casus miserescite nostros:
Pœnarum est satis atq; super: tu'q; optime Cæsar
Cui Pater è cœlo diuinum aspirat honorem,
Adsis, & tristes fugiant te vindice Diræ.
Nec minus interea denso sedet aëre supra
Spicula contendens terris iratus Apollo:
Et pharetram exhaurit telis, atq; intonat arcu:
Intereunt populi, stygio super omnia regnat
Dira fames emissa lacu: proh Numina quantos
Attulit hæc Italæ genti malè suada labores.
Talibus atq; aliјs rabies Plutonia damnis
Merserat Italiam: qua tempestate furore
Barbarico, & belli grauibus vexata procellis
Pannonia, infelix pubem lugebat abactam,
Cum patribus natos, raptas'q; in vincula matres,
Desertas'q; domos, desolatos'q; penates:
Quos ferro, & rapidis vastos dabat vndiq; flammis,
Argiuum, Dolopum'q; ferox, Scythiæ'q; iuuentus,
Atq; Gethæ, atq; vnà Turcarum exercitus omnis:
Millia, Abydeno statuit quot littore ductor
Persarum, regno tumidus: quo tempore pontem
Indignatus atrox tergo furor Hellesponti
Sustinuit, timuêre vndæ, atq; exterrita cursu
Flumina, disiecti pressere cacumina montes
Exæquata solo: tali conamine Turcæ
Pannoniæ sese campi per aperta ferebant
Sublimes rapidis in equis: tremefacta resultat
Terra pedum pulsu: resonat clamoribus æther
Arduus: accendit'q; animos præsentia Regis:
Et iam Danubiј positis propè flumina castris,

Sub iuga Germanos rapiant, Italisq; minentur
Indomitæ gentes: sumptis ea gloria in armis:
Ni Pater omnipotens cœlo demittat aperto
Auxilium, Diuumq; aliquem: qui pectore motus
Excipiens belli tanti, populiq; furores,
Surgat in aduersos, trepidum dare terga coactis
Terrorem iniiciat, terram, & maria omnia soluat
Interclusa metu, miseris nec peruia nautis:
Quos rate centena vacuis turbabat in vndis
Barbarubens, prædo superis infestus & imis,
Deprensosq; dabat remis, grauibusq; cathenis,
Omnes vt longè à teneris vxoribus annos,
Et villa & cultis (quæ iam sua cura) uiretis
Exigerent, medio in ponto, nudoq; sub axe,
Nocteis atq; dies intenti pallida remis
Brachia, & horribili liuentia terga flagello.
Ille etiam exacto Byrsei rege Tuneti
Impius, iniusta Libyam ditione præmebat:
Et maria, & terras scelere, & cœlum omne replebat:
Immiscens fas atq; nefas. Quum stridor in auras
Vndiq; lugentum pariter sublatus, & ingens
Tollitur in cœlum ploratus, & vltima pulsat
Sidera: confusæ lachrymantum in compede voces
Insonuêre Polo: timuitq; exterritus Orbis
Excidium, & metas æui aduentare per ignem:
Commoti superi: summo Deus optimus axe
Prospiciens, terris oculos conuertit & vndis,
Immeritosq; videt dantes, pœnamq; ferenteis,
His iratus, & hos patrio complexus amore.
Tum sic ordinibus superis affatur ouantem:

Aligerum, iocunda Dei cui nuntia curæ.
Spiritus in rerum Dominos delecta potestas,
Protinus Hesperiæ fines, & Cæsaris almi
I, pete conspectum, & ausum molire per auras
Nixibus alarum, & sacri gestamine sceptri,
Atque illum tristi versantem pectore casus
Imperij, euersisque auidum succurrere rebus,
Alloquere, his mandans animos attollere dictis.
Ante equidem (vt vanæ ritu mea prouida gentis
Fata loquar) tractabam animo, versataque mecum,
Et repetita diu steterat sententia menti,
Scilicet infractas bellis res vertere fundo
Augusti Imperij, Romanaque perdere iura,
Necdum etiam læto lustraram lumine, necdum
Attuleram iuueni egregio debentia regna,
Nec quis erat tantam merito cui credere molem
Deberem, & triplicem gemmis aptare coronam,
Quum noua me virtus illius, & inclyta factis
Dextera continuit, propiusque inspecta repressit,
Ille mihi ex animo multis compertus ab annis
Vnus, qui clauum & summi moderamina regni,
Vndique iam tantis bellorum vrgentibus vndis,
Viribus haud impar regeret, populosque feroces
Iustitia, & pulchris superans contunderet armis,
Ille mihi pietate placens, ceu sidus ab alto
Conspicuum terris rutilo candore refulsit,
Iam tum adeò insignem bellis, & pace futurum
Sancta fides, & grata viri clementia cœlo
Signabant, altæque hærens constantiaque menti,
His mutata mihi retrò sententia cessit,

Romanosque

Romanosq́ apices rurſus, ſedemq́ iacentem
Erigere eſt animus, veterisq́ reponere Lauros
Imperij: neq; me placitis vis ulla mouebit
Præterea: neq; enim mutor, neq; flector ab alta
Mente Deus: iuuat extremis immittere terris
Victrices aquilas: cœlo quæ regna volantum
Dilectæ mihi magna tenent, et fulmina portant:
Ac nunc ingentem quoniam fert pectore curam
Cæſar, et afflicti pariter miſereſcimus orbis:
Præſtat aberrantes populos auertere falſis
Ritibus, atq; illis lacrymas depellere, tantos
Sedantem rerum præſenti numine motus
Ipſum, pacatis ingens cui gloria terris
Debetur, cæloq́ ſacri monſtrantur honores.
Atq; ea quo poſcam fieri cuncta ordine dicam
Ipſe: tibi, tu dicta viro mea magna referto.
Eſt mihi præteritis nunq; bene notus in annis
Orbis, et Heſperio latæ ſtant æquore terræ:
Quas vbi deſeruit tenebris lux alma reductis,
Et reuoluta ſuo fulgent vaga ſidera cœlo,
Protinus Eois Oriens aſſurgit ab Indis,
Aſtraq́ phæbęos fugiunt pallentia uultus:
Hic mihi nullus honos templis: mihi nulla ſacratur
Relligio: neq; uera mei ſpectatur imago:
Quos ſibi quisq; Deos ſtatuit, ueneratus adorat:
Hinc omne auxilium, et cæcæ fiducia genti.
Continuo armatas igitur decedere claſſes
Littore ab Heſperio primis iube flantibus Euris:
His ego ad occiduum ſolem noua ſigna ſecutis
Æquora tuta dabo, et ſpirantes leniter auras:

D

Ipſe regam, ac longe portus terraſq́ patentes:
Monſtrabo: quibus humanæ ſecura ſalutis
Nuncia, & Imperium late ferat Auſtria proles:
Antipodumq́ ſolo, & Pariæ, terræq́ Laboris,
Curtanæq́, & Spaniolæ, Iamicæq́, Cubæq́:
Et tandem poſitis circum pius vndiq́ terris
Carolus, ac notis ignotiſq́ imperet oris.
Præterea Hiſpanos illi componere motus
Cura ſit: & regnis Arabum depellere peſtem
Infandam, ſceptris nimium ac ditione potitam.
Hinc Barcinonis pelagi ſecurus ab vrbe
Nauiget: & Ligurum properans inuadere portus
Littus amet læuum, ac Genuæ demum applicet vrbi:
Mox vbi quaſſatam bello tremefecerit omnem
Italiam, & concuſſa virum formidine corda
Strauerit aduentu primo: tum deniq́ lætus
Tendat iter placidum, qua dia Bononia ſurgit,
Egregias inter ſtudijs florentibus vrbes:
Hic Italis pacem æternam, Sanctoq́ ſenatu
Componet Venetum: hic alacri placidiſſimus ore
Admittet iuſtaſq́ preces, & crimina diſcet:
Tum primum abiectis armis aſperrima ponent
Pectora, tum poſito patriam & ſua regna timore
Securi repetent longo poſt tempore ciues:
At qui ſacra ferens & noſtri nominis inſtar,
Sublimi Clemens redimit ſua tempora mitra,
Olli ſceptra manu ſtatuet, capitiq́ coronam
Fulgentem, Imperij firmans inſignia ſummi:
Continuo plauſu populi fremituq́ ſonabunt
Ingentes quicunq́ viris, armiſq́ potentem.

Incolit Hesperiam magnam, circumq́; supraq́;
Quod mare Tyrrhenum, quodq́; alluit Adria littus,
Quiq́; Padum bibit, & quæ plurima cærulus alueo
Accipit Eridanus dextra læuaq́; fluenta,
Lætitia varijsq́; dabunt spectacula ludis,
Munere quo Cæsar, tantoq́; insignis honore,
Pannoniam, procul atq; vrsæ propiora minori
Regna petat, Thracoq́; ferox se opponere Regi
Apparet, insano qui nunc in bella tumultu
Europæ atq; Asiæ vires rapit, omniaq́; arua
Miscet agens prædas, flammisq́; & sanguine replet,
Cœlicolas nihil ille Deos, nihil impia curat
Tartara, nec quantum terræ vergentis ad oras
Hesperidum patet, & Boream, stellasq́; cadentes,
Militiæ satis esse suæ, & victricibus armis
Æstimat, ardentesq́; animos super æthera tollit,
At turpi mox terga fugæ dabit agmine verso,
Quamprimum æratas acies duce Cæsare campis
Surgere, & inuictum spirantia pectora Martem
Viderit, accenso iaculantes fulgura vultu
Inualidus tolerare, micantesq́; igne cateruas,
Hinc Cæsar fremet intrepidus, stragemq́; ciebit
Hostibus insultans, qualem non arduus vnquàm
Horruit, aut Pindus, oculisue hausère Philippi
Emathiæ in campis, qua bis in vulnera ventum est,
Injecitq́; sibi Romana potentia ferrum,
Ni pigeat tantæ cædis, pedibusq́; salutem
Stare tot admoneam populis, neq; fidere pugnæ.
Post ubi se regno patrijsq́; receperit agris
Turcarum frustrata cohors ingentibus ausis,

Rursus in Italiam vertens se littore Cæsar
Procuruo Ligurum condat; ventoq́ue ferente
Hesperios repetat fines, & Bethica regna;
Iamq́ue alio accingi summa virtute labori,
Electamq́ue manum ac neruos conquirere belli,
Fas erit; & pauidis tempus dare libera nautis
Æquora; quo tantum patiar sæuire Tyrannum
Regno incumbentem Libyæ? quem sanguine Cæsar
Exiguo victor ratibus nudabit & armis;
Aureaq́ue exectis decorabit pulpita rostris;
Necnon & Tyria vastis se molibus vrbe,
Murorumq́ue minis tutantem, atque agmine magno
Congressum excipiet; campisq́ue atque aggere pellet;
Millia multa virum redimens; quos aspera ferro
Vincla tenent; miseri, iustis pulsata querelis
Sydera contristant, libertatemq́ue reposcunt
Orantes, largoq́ue absumunt lumina fletu.
Ergo impune mari medio dare vela licebit;
Atque aliis vectas terris traducere merces,
Europaq́ue, Asiaq́ue, & littore Cyrenæo,
Tutaq́ue seruatos ditabunt æquora nautas;
Tunc etiam Tyrii patriaq́ue & Rege recepto,
Debita sacratis reddent solennia templis.
Compositis Libyæ rebus, belloq́ue peracto,
Trinacriæ portu primis surgentibus Austris
Admoueat classem Cæsar, populisq́ue Sicanis
Iura ferat, sumat pænas & præmia soluat;
Atque hinc iactantem pulchro se littore viset
Parthenopem; græmioq́ue vrbis susceptus amatæ
Deponet sumptos vndis terraq́ue labores;

Grataque erunt bello defunctis ocia terris:
Tu mea quum penitus mandata peregit ardens
Cæsar, & auxilium nostrum ad maiora vocabit,
Monstrabis quæ deinde viro tractanda, nec vnquam
Cæsareo abscedes insomnis limine custos.
Dixerat, ille Notis velox & remige penna
Iussa Patris summi exequitur, cœlumque reliquit.
Nec mora mandatis, Lustro quæ maxima complet
Carolus, & terras luctu ac tumida æquora soluit.
Obrutaque Imperij ac depressa potentia nuper
Romulei, tum primum alto se attollere visa est.
Quum tamen Ausonijs nondum saturata ruinis
Gallia detractet pacem & ruat omnis ab alto
Vespere, in interitum pretio collecta iuuentus,
Hic pedes ingreditur campis, hic dira frementes
Cogit equos, totis acies diffunditur agris,
Et late rutilant fulgentibus æquora cristis:
Omnes hic animos, omnes gens aspera vires
Effundens, quatit arma, feroque accensa furore
Infremit, impatiensque animis vlciscier ardet
Sæpius acceptas clades, Italisque sepulchrum
Finibus inuentum toties, manesque suorum:
It rumor longe terris: it clamor: & omnes
Mortaleis animos perculsaque pectora turbat:
Vt quum cæruleus Zephyris spirantibus imber
Vrget ab Occasu, & densi longo agmine nimbi
Incedunt, tonitru cœlum terræque tremiscunt:
Immanemque putes immissa grandine iamiam
Venturam arboribus latè, segetique ruinam:
Frigidus agricolæ tentat pauor, & tremor artus:

Haud aliter totis fundit se Aquitania campis:
Indomitiq; ruunt Belgæ, Galliq; feroces,
Eluetij, et Celtæ, et Rhodani qui flumina circum
Lemanosq; lacus habitant, tumidumq; Garumnam.
Hic Cæsar, quanquam inuictum fert pectore robur,
Haud tanti ignarus belli, rerumq; nouarum,
Ingemit, et secum versans immane piorum
Excidium, longo fundit suspiria ductu:
Incipit hæc tandem, supremaq; numina poscit.
Heu quid agam? qua vi superàs sator optime rerū,
Aut quibus euincam meritis? qua voce furorem
Barbaricum minuam? Regemq; in fœdera ducam,
Insultantem Italis, meq; in noua bella vocantem?
Cui toties victo, totiesq; infausta cienti
Prælia, postremum capto, non vincula iussi,
Non proprio, vt poteram regno, non lumine vitæ
Damnaui: sed coniugij mihi iure reuinxi
Germanam iungens: auidumq; in regna remisi:
En quanquam natos seruandæ pignora pacis
Tradiderat, tamen arma ferox animosq; parabat:
Ausus et Italiæ rursus subuertere regnum
Omnia disiecit: natorum obstare saluti
Nil veritus, meq; hoste pater crudelior ipso:
Quid facerem? potui temerataq; fœdera cæsis
Vlcisci obsidibus, nostrumq; hac morte dolorem:
Verum iterum meritis animos lenire feroces
Aggredior: quum iam nostris victoria castris
Sisteret, atq; suis metuens iam Gallia regnis
Cederet, è Latio, et pubem lugeret ademptam:
Sic tamen incolumes pueros, pacemq; remitto:

Nunc etiam inuadit, ferroq́ꝫ indebita poſcit
Imperia, et tumidus florentis robore prolis,
Ardet in arma parens; noſtris nec parcere rebus,
Parcere ſubiectis vlla ratione mouetur.
Quinetiam immanem Turcarum immanior ipſe
Acciuit gentem, fraternaq́ꝫ fœdera iunxit,
Excidium rerum meditatus, et horrida bella;
O, cœlum, ò, terras; audax inſurgere contra
Quid moror? et flammis inimicam perdere terram?
Nec tamen vnius culpari nomine plures
Fas populos, ſanctumq́ꝫ fide et memorabile regnum
Deleri, et tanto fœdari ſanguine campos:
Nec nos bella pijs vnquam mortalibus vltro
Intulimus: nec nos infeſta fidelibus arma
Ferre iuuat, noſtrasq́ꝫ viciſſim abſumere vires;
At Rhodopem contra, Turcarumq́ꝫ impia regna
Ire animus, pacisq́ꝫ bonæ producere leges
Europaq́ꝫ, Aſiaq́ꝫ, iugumq́ꝫ exoluere ferro;
Donec Idumæas vrbes ſuper, altaq́ꝫ ſurgens
Attingam ſolima, et ſanctæ fundamina terræ:
Et ſtatuam ſignum, et Domini veſtigia adorem;
Hæc fuit, atqꝫ animo ſemper ſententia ſedit,
Ex quo me Pater omnipotens ad ſceptra vocauit,
Et dedit Imperium, et faſces attollere iuſſit;
Atqꝫ ita ne qua moram faceret diſcordia votis
His aduerſa meis, Italos in fœdera duxi
Componens, nec nulla meo de iure remiſi;
Nunc etiam inſurgens quum iam ſe Gallia noſtris
Obijceret cœptis, & ad impia bella pararet
Quas ego non cauſas, quæ non pulcherrima pacis.

Fœdera tentaui, partes conuersus ad omnes
Orantis, iuxtaq́ bonum commune petentis?
At Rex funestis quæ nunc sibi vendicat armis,
Hæc eadem à nobis, nostrum sine sanguine munus,
Sumere sceptra negat, propria hæc mansuraq́ tantum
Perpetuo sibi regna putás proliq́ futuræ,
Quæ demum belli furijs, et Marte subacta
Ceperit, et quas seruitio depresserit urbes.
Quid reliquum est? opus inter nos contendere ferro,
Aduersasq́ acies diræ committere pugnæ:
Ergo etiam sacro terras undare cruore
Aspiciet? tantosq́ Pijs feret ille tumultus?
Quin potius bello perituræ parcere genti
Præstiterit, paribusq́ ambos concurrere in armis
Certantes: vos, ô, superi vos Numina testes,
Quam proprio infandum bellum finire periclo,
Et cupio, et solum ferro decernere posco,
Te uero Deus omnipotens qui cuncta reducis
In melius uertens, adopertaq́ lumine cernis,
Inuoco, et has supplex voces ad sidera fundo.
Si placitum est, atq́ hoc alio traducere præstat
Imperium, et quæ nil merito mihi tradita sceptra,
Accipe, et hæc tua Magne pater sententia vincat:
Quicquid erit cessisse Deo, et placuisse iuuabit:
Sin aliquid nobis fas est Ductoribus addi
Imperio, regnisq́ tuis, si tollere nostra
Militia, incestasq́ paras deperdere leges,
Ingredere, et nostros puro rege lumine gressus.
Austrius hæc voluens altis dum mentibus Heros
Affatur superos, ac non auersa precatur

Numina,

Numina, continuo læuum Deus æthere puro
Emicuit, magnoq́ꝫ poli intonuere fragore:
Atqꝫ iterum æthereis delapsus Spiritus auris
Astitit Antoni sumpta sub imagine Leuæ,
Antoni quo res Italæ firmataq́ꝫ iura
Imperij creuere Duce, & stetit ardua ab almo
Cæsare deiectis toties victoria gallis:
Huius in effigiem monitis affatus amicis
Edidit hæc, tenebrasq́ꝫ animo abstulit incumbentes.
Qui gemitus quæ tanta noui tibi causa doloris
Ingruit, ô, bone Rex: turbataq́ꝫ pectora versat?
Tene mouent noua ab aduersis surgentia Gallis
Bella? grauesq́ꝫ agitat tecum mens anxia curas?
An non experti furias, vanosq́ꝫ tumultus
Vidimus? & cæsis Gallorum millibus agros
Strauimus? an victi maiori robore rursus
Consurgent? ducentu'e alias in prælia vires?
Non ego in excidium Galli pubisq́ꝫ superbæ
Natus, adhuc supero? atqꝫ eadē mihi viuida mens est?
Principio magnis ergo confidere Diuis
Auxilioq́ꝫ vocare placet: dehinc tendere contra:
Ingentiq́ꝫ manu, & valida procul ire niuales
Trans Alpes acie, mediumq́ꝫ inuadere regnum:
Hæc dicens olli in niueo cælestis amictu
Nuncius affulsit, flagrantiq́ꝫ addidit ore.
Ergo vbi terrorem Gallis incusseris atrum,
Et male suscepti referent dispendia belli,
Fataq́ꝫ per multos natum properata labores
Sustulerint, primis Regi qui maior ab annis
Exuperat, nec spem rerum capit ipse suarum,

Tunc hyeme hiſpanos fines vrgente reuiſes,
Cui poſtq́ ver purpureum ſucceſſerit actæ,
Lætior, et poſito ſquallore nouabitur annus,
Gallia coniuncto in fœdus tibi tota patebit.
Dixit, et extemplo ex oculis ſe ſuſtulit ales,
Nec mora romanas linquens Dux Auſtrius arces
Agmen agit, magnis'q́ attingere paſſibus alpes
Dum properat, ſimul ingentem ſe comparat armis,
Accenſus Diuum monitu: et mauortia ſecum
Inſtrumenta rapit, peditumq́ equitumq́ phalangas,
Collatisq́ vocat ſignis ſibi cominus hoſtem
Aduerſum prodire, et aperto occurrere Marte,
Galli ſe foſſis, interpoſitisq́ tueri
Fluminibus, modo ſecuros erumpere in hoſtes,
Et furtim pugnam mutato more ciere:
Atq́ ita ſe alternis perimentes cædibus orco
Tranſmittunt triſtes animas, et turbida tranant
Flumina, tranfixi telis, aut igne peruſti,
His ferri rabies, auriq́ inſana cupido
Duplicat heu fero tum deteſtata dolorem,
Aſt alij poſiti ordinibus, animisq́ parati
Congemere extremum, aut hoſti inſultare ſubacto
Herculeo ſtabant campo, Rhodanumq́ parabant
Traijcere obſtantem: at diro emiſſa profundo
Circum perq́ acies volitabant monſtra caducas,
Inuiſæ cœlo formæ, fœdiſſimaq́ ora,
Quæ tua mens? quales trepido Regina querelas
Ore dabas? quum te mediam fratrisq́ viriq́
Exagitaret amor, caſusq́ horreſcis apertos
Amborum, & ſæuæ quatiunt præcordia curæ:

Vt super impositum candens incude metallum
Contundunt, pariterq; alternis ictibus vrgent
Adnixæ proferre manus, tum lamina crebro
Icta crepat: formamq; chalybs mutatur in omnem.
Haud secus hinc, atq; hinc ingenti tunditur æstu,
Et nunc illa gemens, fratri, nunc illa marito
Supplicat, infandi studium deponere belli.
Perq; Deos orat, per connubialia vincla,
Communesq; patres, & auitæ fædera gentis:
Interea largo liquuntur lumina fletu,
Postquam in bella viros manifestaq; fata ruentes
Haud precibus reuocare valet, neq; fletibus vllis
Proficit, et surdas gemitus frustratur ad aures:
Immemor ipsa sui magnoq; afflicta dolore
Dicitur insomni has thalamo duxisse querelas,
Regales effusa sinus, discissa coronam.
Quæ miseræ est fortuna super? quis me exitus ægram
Excipiet belli tanti, & grauiora trementem?
Quid sperem? quo me vertam? quis victus acerbum
Pertulerit victorem, ac non ego perdita vincar?
Quales mœsta mihi luctus victoria portat?
Quas lachrymas? heu, sed potius mihi tristia fata
Fata mihi properate, meumq; haurite cruorem,
Atq; odia, atq; in me vestras absumite vires:
Neu mihi iam libeat tanto superesse dolori:
Quid proceres, aut pulchra iuuant insignia regni?
Regalesq; tori? quid mitræ, aurique coronæ?
Fœlix atq; etiam fœlix, quæ paupere tecto
Inter pensa, colosq; inopis fert tædia vitæ
Fœmina: nec tantos norit vexata tumultus:

Sed quid ago? quid consilium capere ordiar? aut quas
Frustrasq; preces iterum gemitusq; mouebo?
O, vtinam medijs aliquis se opponere turmis
Audeat, ardentesq; animos virtute moretur:
O, Granuella Pater: tibi enim tibi plurima Regum
Gratia, tu rerum euentus, tu tempora noris
Debita, pacati maneat tibi gloria belli:
Et Pater omnipotens, si non mea plurima frustra
Vota cadunt, si non templis exosa dicatis,
Det tibi pro rebus fari, det pondera verbis
Vimq; suam aspiret, pulsis quæ corda tenebris
Eualeat lustrare, nouamq; retexere mentem
Turbatis rerum Dominis; sic deniq; fœdus
Insinuet, pacemq; æternam numine firmet.
Hoc summissa Deum gemitu Regina vocabat:
Cum Pater humanæ tantum pessundare gentis
Cognatas acies, irasq; haud passus acerbas,
Accensos animis Reges inuisere tempus
Constituit, veritisq; Dei torquentis Olympum
Præsenteis vultus Maiestatemq; tremendam
Pacem ferre viris, & crimina tollere belli,
Sed quia mortales oculi sub limine tanto
Deficerent, sumpta terras sub imagine Pauli
Pontificis petit, ac solio se se extulit alto:
Ingressusq; viam, vultus incanaq; curui
Menta senis fingens, albos simulauit amictus,
Atq; viæ longum raptim tentare laborem:
Interea emenso rediens Sol aureus anno
Attigerat fratres Helenæ, prolemq; gemellam:
Cum gemitor tandem superata ambage viarum

Littore in extremo Italiæ,qua Varus in amplum
It Ligurum mare prorumpens torrentibus vndis,
Constitit: Hinc Cæsar,Rex hinc tentoria habebant,
Et iuncta pacem sancibant fædere dextra:
Hic Pater excelsa aderat delapsus ab æthra,
Dijq́ꝫ,viriq́ꝫ omnes,quorum moderamine late
Diuisæ imperijs terræ populiq́ꝫ reguntur,
Et iacti leges dicebant fæderis aptas:
Atqꝫ hinc vella Pater,quem toto pectore Cæsar
Accipit,ac rerum merito cui credita summa est,
Incipiens dictis animos mulcere calentes
Cæsaris,atqꝫ illi Pacem laudare volenti,
Orsus erat rem non magnæ ambitionis egentem:
Cæsar enim districta suos sic semper in hostes
Arma tulit,locus ut paci tamen vsqꝫ pateret.
Hinc Regi Gallorum aderat commissa Lorenæ
Sacra gerens:qui nunc præter placidissimus omnes
Pacatas cupit Hesperias,& regna piorum:
Ac rerum cui summa fides: cui maxima regni
Consilia innixus stabili Rex cardine cessit:
Ille bonis inhians semper communibus instat,
Egregius fœlixq́ꝫ animi: sic deniqꝫ Regi
Nonnullum insinuat tranquillæ pacis amorem:
Imo ait omnipotens,quicunqꝫ hæc fædera vestrum
Iacta decem faxit non inuiolata per annos,
Sentiet ipse suis contraria Numina rebus.
Atqꝫ ita consessu,è,medio discedere visus,
Intentas spectantum acies,animosq́ꝫ fefellit.
Tum positis belli furijs,& pace secuta,
Depressæ vitio leges,desuetaq́ꝫ iura

Surrexere, viri campos vrbesq́ relictas
Iam repetunt, non his litui, non classica somnos
Excutiunt inflata leues, adamataue turbant
Ocia: sed placida degunt in pace quieti:
Iamq́ alius resides cogens ad aratra iuuencos,
Inuertitq́ solum, renouataq́ suscitat arua,
Frugibus, & parto iam non fraudatur aceruo,
Purpureas condens alius dum colligit vuas
Lætior, ipse suos capit sine fraude labores,
Ille domum pastas pecudes compellit: at illi
Distentæ redeunt solita ad præsepia vaccæ:
Pars agitant dulces cara cum coniuge curas,
Natorumq́ animos ignaraq́ pectora pulchris
Moribus informant: puræ pars optima vitæ
Gaudia, & insignis sophiæ sectantur amores,
Ac loca sola colunt nemorum, lætosq́ recessus,
Ergo omnes animisq́ fauent tibi maximè Cæsar,
Fortunasq́ suas referunt: tua fortia facta,
Immissamq́ fidem terris, ad sidera tollunt:
O' patriæ pater, ô nostræ Dux optime gentis,
O' iuuenis, quo cum æterni stat dextera Regis:
Tu Christi leges populis, tu fœdera portas,
Iustitiam, cultumq́ Dei: te sospite nullos
Curamus Francæ gentis, Scythicæq́ furores,
Sed conuiuia læta, sed almæ pacis honores:
Cantusq́, choreasq́, exoptatosq́ Hymenæos:
Dilectæ Veneri ludunt per gramina Nymphæ,
Cum Baccho, Satyrisq́ & ruricolis syluanis,
Lætitiaq́ fremunt vrbes, & mœnia plaudunt.
Iam fatis erectum Imperium, reparataq́ regna,

Depulſasq́ Italis lachrymas, Libyæq́ labores
Exactos cecini, & miſerantem incendia Martis
Cœlicolum Regem, ſolio qui primus ab alto
Omnia quæ pandis cœlum complectitur vlnis,
Quæq́ petunt medium, medio quæq́ ardua ſurgunt,
Dirigit, æternosq́ agitans non deficit orbes
Ipſe immotus, & immenſi regnator Olympi:
Audiat hæc geminam tellus decliuis ad Arcton,
Audiat Oceano qua Lucifer emicat, & qua
Heſperus heſperijs ſitiens immergitur vndis:
Pars etiam magni (ſi fas) diuertat ad aures
Cæſaris: & fama iactatum ad ſidera nomen
Interea, diſcat numeris aſueſcere noſtris:
En vnquàm tua Cæſar erit, quum dicere bella
Longius, & victas memorare ex ordine pugnas
Aggrediar? domitosq́ canam ſine ſanguine Reges?
At rudis Oceani nondum benè creditur vndis
Nauita, nec vaſtos audet rate currere fluctus:
Prima tamen radit fluitanti littora cymba:
Ac nos exiguas pedibus tranauimus vndas:
Parcentes pelago geſtarum fidere rerum:
Quòd ſi parua mihi aſpirans crepitauerit aura,
Audax ærata ſcindam maria alta carina.

FINIS.

EIVSDEM EPIGRAMMA AD CÆSAREM.

Deuictæ mœrent gentes, extremáq; paſſi
  Omnia ab irato ſæpius hoſte dolent:
Atq; aliqui vltrices ſparſerunt ſanguine flammas:
  Nec ſibi fatales continuère manus:
Ergo ſuſcepti temere diſpendia belli
  Omnes Thraicij iure tulère Dei.
At pacata ſuo Germania Cæſare gaudet:
  Et ſibi, tam caro Principe victa, placet:
Gloriáq; eſt omni ſuperatæ à Cæſare terræ:
  Is modus, hæc pietas Carole quinte tua eſt.

ALIVD.

Qualis in abſentem pallens noua nupta maritum
  Expectat, longas conqueritúrq; vias:
Nec ſibi inornatos curæ eſt componere crines:
  Nec ſtrophio laxos ſubredimire ſinus:
Vnus abeſt, cui culta comas, cui pulchra videri,
  Cui torrere pari ſenſit amore iecur:
Illi vni Domino, illi vni ſuſpirat amanti,
  Nec deſiderij meta, modúſq; ſui eſt:
O quoties tacita repetentem gaudia mente,
  Gaudia fœlici nuper inita toro,
Ac pene exanimem lecto ſuper incumbentem,
  Exiguus liquit tractus in ima calor:
Collapſíq; artus, & languida frigore membra,
  Pallidulóq; omnis fugit ab ore roſa.
Talis te repetens tellus vocat Itala Cæſar:
  Nec deſiderij meta modúſq; ſui eſt.

HIERONYMI
OLIVERII AVGVSTI BER-GOMATIS PHYSICI, POETÆ-QVE LAVREATI.

DE PARTITIONE ORBIS

Libri quatuor, Ad Illustrissimum et Reuerendiss. D. D. Antonium Perenotum, Atrebatensem Episcopum.



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSI- mo Domino, D. Antonio Perenoto, Atrebatensi Episcopo, Hieronymus Oliuerius Augustus. S.

QVi Mundi speciem formamq́ue tabulis ac litteris exprimere conati sunt, vt benè de humano genere meriti fuerint, neminem profectò parum elegantiori ingenio præditũ ignorare arbitror. Cum eñ nauigandi vsui Cosmographię peritiam adeò necessariã esse cõstet, vt nullo modo sine illa exerceri possit, nauigatiõis ipsius vtilitates, quę mortalibus multę ac maximę sunt, iure ab illa quoque prouenire dicendũ est. Taceo quantum ad rei militaris disciplinã scitè exercendam, quantum ad antiquas nostræq́ue tempestatis historias rectè intelligendas locorũ cognitio semper conferat, Christe optime, quantum lucis Philosophiæ, Astronomię, atque Poëtarũ lectioni eadem subministrat. Quantũ vtilitatis Architectonicę affert? quàm denique vel sacris litteris veteris Testamenti pariter et noui prodest. Proinde si quisquam scientiam tam vtilem ac necessariam hominũ generi neglexerit, si sedes inquam, tum sibi, tum cæteris mortalibus Dei bonitate concessas, cognoscere non cupierit, hunc dubiò procul prorsus mentis inopem affirmare ausim, atque illorũ similem, qui cũ morbo attonito (vt Medici loquuntur) laborent, vbi locorum sint omnino ignorent. Detur mihi bona cum legentium venia, vt cum de Cosmographiæ laudibus hæc & sentiam, & prędicem, ne existimet meam in laudẽ meorumq́ue studiorum cõmendationem, tanquam præfatus fuisse, apud te præsertim, Illustrissime Antistes, vel amicũ præcipuũ, vel studiorũ eorundem sectatorem peritissimũ. Sed si omes illius laudes hoc loco persequi vellem suũ modũ

excederet epl'a satis mihi fuerit Lectorem admonuisse, artem hanc non solũ vtilẽ et necessariã, verumetiã quocunq; homine libero dignissimã esse. Cæterũ cũ tot maria, tot prouincias, tot insulas cũ finibus suis, cũ fluminibus, montibus, ciuitatibusq; q̃ plurimis minimè contenendis, cũ deniq; sitũ, naturamq;, & Orbium cœlestiũ motus, atq; elementorũ, necnon omnia illorũ nomina ediscere, et vbi edidiceris fideli memoria custodire, per difficile sit; varium atq; immensum huiuscemodi negocium breui ac simplici quodam aditu faciliq; introductione indigere existimaui: & quoniã omnis nostra cognitio à notioribus procedat oportet, notioraq; nobis sunt confusa magis atq; vniuersalia: ideo vtilitati ac delectationi publicę cõsulendi gratia, breuẽ hanc de Cosmographia præceptionẽ, qua res duntaxat illustriores & magis generales complexus sum, in mediũ protuli, vt non his paucis Lector contentus esset, sed ad inquirenda cognoscẽdaq; reliqua omnia studio quodam discẽdi atq; alacritate permoueretur, faciliq; tramite sine magno labore ac sine vlla diffidẽtia ad difficilia magis atq; ampliora, & quam desiderat integram locorũ cognitionem perduceretur. Et quoniã describendi Orbis ratio per se aspera tractari, & auribus insuauis videbatur, eam lenire structura gratioremq; reddere carminibus tentaui, simul vt si quando nominũ obliuio mentẽ subreperet, id quod haud raro vsu venire solet, numeri reminiscentiã excitarent. Illud vnum superest Atrebatensis Antistes amplissime, cuius in gratiam laborẽ hũc suscepi, vt dicatum ac consecratum tibi carmen hoc suscipias, & maximo tui nominis patrocinio tuearis, ac valeas.

AD EVNDEM.

Purpureo velare comas Perenote galero
    Hoc est signatum sanguine ferre caput.
Sanguine purpurea est Christi coma; sanguinis ac te
    Non parcum arguerit largior ille sui,
Seu subeas Cancrum Duce Cæsare, siue Triones,
    Nullam detractas mortis adire viam.
Nullum pro Christo refugis perferre laborem:
    Pax vt sit populis, sit rediuiua fides.

DE PARTITIONE ORBIS LIBER PRIMVS.

Diducto latè monstratas æquore terras,
Quæq́ sedens vasto claret minor insula ponto,
Immanesq́ sinus, & sparsas gentibus oras
Lustrabo excelsiq́ ingesta volumina mundi,
Atq́ agili immensum circumferar æthera mente.
Gratia sola Patri rerum, qui me quoq́ terris,
Spectatorem operum miratoremq́ suorum,
Intulit, & dulcis vitæ perduxit in auras,
Fidentemq́ sui signauit imagine vultus.
Te vero super hæc, celsa speculatus ab arce
Auxit, & egregios opibus cumulauit honores,
Antoni venerate, patris lux inclyta magni,
Patris Granuellæ lux inclyta: cui sua Cæsar
Munera & Imperij clauum ac moderamina credit:
Augustamq́ ferunt pelago data vela carinam.
Tu mihi iactato per stagna Ligustica, sidus
Purpureum gemini ceu Castoris illuxisti:
Tu regere incertos cursus, mediumq́ per æquor
Tendere, & Herculeo docuisti inflectere portu.
Quare nil metuens vndis quodcunq́ pericli est,
Te duce digrediar terris atq́ auspice soluam.
Hic mihi deuexi facies se maxima Mundi
Subijcit: apparetq́ animo reuoluta tuenti.
Vnus in immensum latè profertur, & alta
Mole tumet globus, ac solido se corpore tollit:
Omnia qui teneat supremoq́ ambiat orbe,
Ipse suis tantum certis subcinctus in vlnis,

Ac pariter medio abſiſtens, et ſedibus imis.
Hanc omnem non vna regit natura, mouetꝗ
Diſſimilem longe molem. nam concaua quicquid
Ambit, et orbe ſuo gradiens Latonia Luna
Complexu fouet, id ſemper ſibi pugnat, et à ſe
Diſſidet, oppoſita ſpecie mutabile ſemper:
Nilꝗ quod ante fuit remanet. quin protinus illud
Monſtrum informe ingens, Hylen quàm nomine graij
Dixerunt, varias gaudet ſubijſſe figuras:
Quumꝗ latens huic ſe mundi mirabile parti
Subijciat, vultu nunquam requieſcit in vno.
Qualem Carpathio memorant ſub gurgite Proteum
Cæruleos artus, rorantemꝗ æquore crinem
Mille ſenem mutaſſe modis; ut ſæpe iacentem
Induerit glebam, liquidas modo verſus in vndas,
Et modo ſuſpenſum tenuarit in aëra corpus,
Sæpe manum puro capientem eluſerit igne,
Iam lapis, aut arbos, aut quem curſare iuuaret
Pullus erat; iam ſe humana grauitate ferebat,
Tantaꝗ depreſſis concors diſcordia rebus,
Alterum ut alterius fieri, et ſuccreſcere certet
Interitu, et cunctis lateri ſuus hæreat hoſtis.
At plaga quæ ſupra eſt, corpusꝗ volubile, mundi
Pars melior, ſuperisꝗ domus gratiſſima Diuis,
Non ſpecies habet oppoſitas; tantum vſꝗ mouetur,
Immutare ſitum cupiens, ea ſola voluntas:
Nec leuitate ſuper volitat, nec pondere preſſa
Deficit, aut calida eſt, aut frigore torpet inerti:
Nec madet, aut æſtu venis ſitit aſpera ſiccis:
Et tamen æthereis manans venit humida ab aſtris

Siccaꝗ

Siccaꝗ vis, referensꝗ hyemes meſſemꝗ reportans.
Quare non alia facie variabile cœlum,
Et nunquàm augeri, nunquàm decreſcere fas eſt:
Æthereoꝗ eadem ſemper ſubſtantia Mundo
Intemerata manet, quæ non generata, nec vlla
Corrumpenda die ſat habet, neꝗ plura repoſcit,
Huius inexpleti penitus quæ dicitur Hyle
Neſcia, continuoꝗ vigens ac purior actu,
Hæc domus hæc habita eſt Superis digniſſima ſedes:
Quippe vbi cœleſtum non addita numina morti
Æternis agerent tectis, & celſa tenerent
Culmina, diuini latè & ſplendentis Olympi:
Illic luce micans ac peruius enitet æther
Corpore perluſtri: ſed qua ſe denſior ipſo eſt
Parte magis, rutilare ignes & ſparſa videmus
Sidera, candentisꝗ micantia lumina cœli.
Quis mihi nũc callem anguſtam? quis cęca recludet
Naturæ, cupido, & magni penetralia Mundi?
Monſtrabitꝗ nouis dictis, & carmine ſacro
Expediet, qua vi quo ſe propiore mouendi
Principio, tellus immani pondere vergat
Ad medium, medio aſſurgat contrarius ignis,
Ignem aër ſubeat, terramꝗ ſupernatet vnda?
At cœlum, & defixa ſuis concorditer aſtra
Orbibus inuertantur, & alto vertice nutent?
Scilicet haud eadem eſt illis natura, nec vnum
Principium, quo directis elementa ferantur
Motibus, obliquos cœlum verſetur in orbes.
Nam ꝗ humus ponto, ꝗ ab aëre diſcrepet ignis,
Sintꝗ aliquid, natura facit, ſibiꝗ inſita forma,

Illa mouet, ſimul & propriæ inſinuata mouetur
Materiæ, ac ſecum pariter metatur, & vnum
Conſtituit certo dimenſum limite corpus.
At non merſa polo penitus ſua forma cohæret,
Mixtaue, nec paribus ſpacijs metata, ſed illi
Verſando aſſiſtens; cœli quam fine carentem
Immortalem animam, quam iugiter indefeſſam
Accipimus, meritoq; æterna ſiſtimus arce
Nullis diſſimilem ſeclis. at cœlifer Atlas
Labentis mundi formidine captus inani
Excipit æthereos humeris albentibus orbes;
Et ſibi nequicquàm debentia ſidera torques;
An quia eras rerum, & diuinæ prouidus autor
Naturæ, cœliq; vias & ſigna docebas
Alcidem magnum, deprompta hinc fabula vero
Non caruit, tibi nec penitus mentita vetuſtas
Inſediſſe polum tergo: quo pondere feſſus
Diceris Herculeo vires reparaſſe labore.
Pangitur hic geminis rutilantis regia cœli
Partibus: hæc fixis apta eſt, errantibus illa
Sideribus, ſeptemq; eadem partitur in orbes.
Inferior, quem nocturnis inuecta quadrigis
Luna regit, liquidi cumulo ſuper incubat ignis;
Mercurius Phœben, Maiæ Venus vrget alumnum,
Quam circumuectus vegetis Hyperione natus
Fertur equis, crinemq; humero iacit igne comantem;
Tum Phœbo Mauors, Mauorti maximus inſtat
Iuppiter, & præmitur Saturno rege ſecundus.
Omnibus his innata ſuo ſtella emicat orbi:
Quos ſimul innumeris præcinctum tempora flammis

Ingens excelſo ſub vertice Firmamentum
Continet, atq; vno properans rapit ordine ſecum
Luctantes, ſeq; obliqua è regione mouentes:
Dumq; quater ſenis cœlum circumtulit horis
Lucem illud, noctemq; ferens, traxitq; volentes,
Temporaq; induxit, paulatim illi agmine contra
`A zephyris nituntur, & obuia pectora portant,
Conficiuntq; ſuos non vno tempore curſus:
Nam quicunq; ſubeſt primo coniunctior orbi,
Illius aduerſo tardatur & impete inhæret:
Qui vero inferior ſedem ſibi legit, ab illo
Longius abſiſtens, ſpacia in ſua ſæpe recurrit,
Liberiorq; datis retrò volat axis habenis:
Hos inter, medij, maior quæ cuiq; poteſtas
Et vigor, elabuntur & ocyus æthera tranant
Læua aſſurgentes. magnum nam Mobile dextra
Emicat, immenſumq; animal, cui vertice ſummo eſt
Auſtralis polus: at pedibus Cynoſura reſedit:
Ante patet tellus, ſtant retrò immania terga:
Dextra oritur, læua Heſperijs immergitur vndis.
Illi autem errantes ortumq; obitumq; ferentes
Alternant, variantq; ſitus, cœliq; figuras
Mobilibus gyris, purumq; per æthera ludunt:
Hinc variæ rerum ſpecies, habituſq; nouantur:
Hinc nitet innumeris lapſura coloribus æſtas:
Et modò quæ fuerant pereunt, perituraq; ſurgunt:
At conata genus ſaltem natura tueri
Perpetuum ſummo deducit ab orbe tenorem.
Iamq; alius nonumdecimum iamq; addidit orbem,
Mutantes ſpacia & ſtellas miratus euntes.

In medio tellus infra grauitate resedit
Circum pressa sua, fundoq; immobilis imo,
Quo stabili ceu nixa solo supera ardua circum
Versentur, nullaq; labent nutantia parte,
Extulit hanc contra cœloq; leuissimus ignis
Subiecit caput, & propria subsedit in arce
Noctiuagæ obtentum tangens Titanidos orbem.
Queis media extremis rerum sibi semina seruant
Pondere quem, aut leuitate gradum, cœpêre remissa:
Vtq; decem maior tellure exuberat vnda
Partibus, infuso totidem est minor aëre, at igni
Concessit supero pariter compressior aër.
Sedibus hæc proprijs peragunt seclusa quietem:
At commixta, simulq; eadem mutata vicissim
Compositis hic prima ferunt exordia rebus.
Hoc totum illud erat veteres quem Pana canebant
Curua Deum gemino redimitum tempora cornu,
Pubentem Lunam, radiosq; imitantia Solis.
Vt qui perspicuum vultu candente referret
Æthera, stellata tegeret qui nebride pectus
Astrorum in formam rutilans: pars obsita villis
Inferior, syluas intonsiq; aspera campi
Gramina signabat, pecudumq; genusq; volantum:
Ille etiam solidæ ostentans fundamina terræ,
Se capreæ cornu bifido pedibusq; ferebat:
Ille pedum gestans, in se conuersa redire
Tempora, & exactis decurrere mensibus annum
Monstrabat, gradibusq; reuolui semper in ijsdem.
Nec frustra septem geminis huic credita cannis
Fistula, nec frustra tenero memoratur Amori

Ah malè congeſſum nuda certaſſe paleſtra.
Hactenus æthereas ſedes & culmina cœli
Ardua partiti inſtitimus, nunc ire per altum
Et propius, terris curſus aduertere tempus:
Inuitat blando tellus viſenda receſſu
Notior, & mediam canis ſe fluctibus infert
Oſtentans, aperitq́ ſinus, & brachia pandit:
Tum fuluo latos humeros circundata amictu.
Fert tepidi florem veris, fert roſida mala,
Lætitiamq́ gerit placido pulcherrima vultu,
Fronde tegens crinem viridi: cui tempora circum
Purpureo rident intextæ flore coronæ,
Molliaq́ æſtiuos adimunt vmbracula ſoles:
Dependent tereti longè redimicula collo
Aurea, nudato rutilant ſub pectore gemmæ
Littoribus rubris, primoq́ oriente petitæ:
Aut quas Indus habet gurges, quas monſtrat Oaxis
Aut rapidus magno ſubiectat flumine Ganges.
Addunt & myrrhæ perfuſæ rore decorem,
Flauentesq́ comæ redolent, oleoq́ niteſcunt
Spicato: fragrant illi ſpirantia latè
Cinnamaq́, & rupto manantia balſama libro.
Tota nitet, tota eſt vario blandiſſima cultu.
Quas non illa breui mulcens dulcedine tangit
Deceptas ſpecie gratoq́ errore labantes
Matres, atq́ viros? aut quos non mollibus illa
Ludens illecebris dulciq́ cupidine captans
Detinet, & cœco ſecum deuincit amore?
Iam nunc vrbis opes, iam nunc ingentia rura
Oſtentans, cupidosq́ ſui ditiſſima largis

Instaurans onerat donis, et ad oscula ducit,
Complexuq́ue fouens ima in præcordia condit,
Oblitos patriæ melioris, et optima nunquàm
Sæcula visuros, nec maiestatis in alma
Luce suæ lætum Diuumq́ue hominumq́ue parentem.
Fœlix ô animiq́ue potens, quem nulla tenere
Munera pellacis terræ potuêre, sed ille
Omnia contempsit secum, & male fida reliquit,
Aspirans, regnisq́ue inhians, quæ maxima primum
Pollicitus cœlo labens Mediator ab alto,
Quisquis in hoc campi spacio circoque patenti
Assiduo iussus pugnam tolerare labore,
Non terræ latebris nec grato conditus antro
Cesserit, infesto neque se male prouidus hosti
Dediderit, verum extremo sub fine petitam
Egregia victor tulerit cum laude coronam.
Ergo illum proceres inter dominantis Olympi
Regia suscipiet, illum patria alta tenebit
Immortalem, alacrem, spirantem gaudia toto
Pectore, conspectuq́ue almi genitoris ouantem.
Haud alium nostro finem requiemq́ue labori
Da Pater, has operum laudes ea præmia per te
Fer Sacrum caput, & reparatæ gloria gentis:
Atque in te referens se se mea Musa resoluat:
Seu canimus terras, ac non ignobile munus
Granuellæ struimus nostro: seu Cæsaris almi
Virtutes, rapidumq́ue imitamur carmine martem.
Sed iam age carpe viam ventisq́ue intende secundis
Vela, iuuat liquidis campis innare canentem,
Queis mortale genus iussum considere terris,

Quæ loca, non vlli longum ſeruanda, pararit
Omnipotens, ſpiransꝗ illud cum lumine Lumen,
Quiꝗ bonus, qui verus, Amor, qui Trinus & vnus,
Perfectus, ſapiens, quiꝗ eſt, viuitꝗ, mouetꝗ,
Et manet, excelſa circum caligine ſæptus,
Regnator, Dominusꝗ, Pater, ſpecieꝗ decorus,
Principium & finis, diuinaꝗ nomina cuius
Indefinitum linquunt ſimul omnia numen,
Hic hominum generi ſedes, & tempora fecit,
Quum gemino pendens librabat cardine cœlum;
Firmabat terras, rerumꝗ elementa nouabat;
Tunc Arctos inter media Phœbeius ardor
Orſus iter candente plaga, & per maxima primum
Ingreſſus ſtadia alatis inſueta quadrigis:
Tum gemini aduerſis defixi in partibus Orbis
Illuxère poli, circum ſiſtentibus axem
Ignibus, atꝗ alto vetitis decedere cœlo.
His medium extremis ſecuit Sol igneus orbem
Lumen agens, curruꝗ ſedens ſublimis in aureo:
Quem iuxta pariter tractus geminæꝗ relictæ
Parte ab vtraꝗ plagæ, & clementia plurima cœli.
Continuo inducti fluctus, terræꝗ tumentem
Decurrere globum circum, & ſupra vndiꝗ fuſa eſt:
Magna maris facies, adopertaꝗ marmore tellus.
Quum Pater haud vna terras in parte remotis
Oſtendens detexit aquis, diſcedere pontum
Dum iubet, & campos partim ſub lumine Solis
Directo, partim dextra leuaꝗ iacentes
Imperat apparere, ſolum mortalibus æquis.
Atꝗ ea quæ primo pandens ſe extendit ab ortu

Solis in occasum, Titaniaq́ʒ astra secundum
Declinat dextra, notæ pars maxima terræ est,
Et populis latè fœlix, dextraq́ʒ cadentes
Vmbras semper habet, clamydi assimilata patenti.
Pars autem Cancro, aut quæ sidereo Capricorno
Subiacet, aut illi regio quæ prima propinquat,
Incalet, et summis densato sanguine membris
Corpora magna virum valido denigrat ab æstu,
Tum medio ardentis tellus sub limite Phœbi
Quæ recubat, pariterq́ʒ dies exæquat & vmbras,
Frigoris excessus magnos, aut illa caloris
Nescit, et assidua potitur placidissima cœli
Temperie, cui bis toto super incidit anno
Delius, at longæ noctes, tenebræq́ʒ profundæ
Quiqʒ cadunt largo concreti rore vapores
Directos hebetant radios, æstusq́ʒ remittunt.
Atqʒ illic rapidis medium quum pulsat Olympum
Phœbus equis, dextræ summis de montibus vmbræ,
Vel nullæ veniunt, alia vel parte sinistræ
Funduntur, populosq́ʒ ideo dixère biumbres.
Quid memorem nostro terras procul orbe repertas?
Vtqʒ nouæ pateant æquor tentantibus oræ,
Vnde cadit Boreas, àut vnde grauissimus Auster
Incipit, aut tepidi mulcens venit aura fauoni?
Quæqʒ extra solem positæ, & quibus ardua surgant
In caput astra Polos fixis signantia flammis?
Nāqʒ ita hyperboreas hiemes moderatus & æstū est
Omnipotens, ne quas cœli inclementia genti
Axe sub è gelido terras aut sole negaret.
Præterea validi Phœbo impendente calores,
Aëreas

Aëreas quantum tenuati humoris in auras
Absumunt, tantum geminos conuersa sub axes
Frigora restituunt, concretumq; aëra præssant
In pluuiam, et rerum status sic usq; perennis
Ducitur, inq; vicem mutata elementa nouantur.
Ergo ea quæ solem cœlo patet inter & Arcton
Maxima terrarum facies, septemq; triones
Sublimes videt, atq; vmbras nunquam ire sinistras
Apprime dicenda mihi, et liquido ore canenda.
Sed prius vndisonæ lustrabimus Amphitrites
Ambitum, & Oceani, totum qui maximus orbem
Gurgite perpetuo tumidarum claudit aquarum,
Multaq; vicinis recipit cognomina ab oris.
Nam geniti Astræo Zephyri qua purior vrget
Spiritus, et blandum crepitans ver temperat aura,
Illic hesperijs turgens Athlanticus vndis
Dicitur, his quoniam se finibus adijcit Athlas,
Athlas frondoso surgens ad sidera dorso.
Gallicus est, qua Gallorum se inflectit in oram.
Quem supra ad Cauros lucisq; Britannicus ortum est.
Hinc magis in Boream septem geminosq; Triones
Ingens profertur late mare, cuius in alto
Insula terrarum residet non vltima Thule:
Hunc aliqui dixere sinum cui seruet in Euros
Schundia, nunc celebrata, latus peninsula dextrum:
A zephyris nondum peragrata Bachallaos extet,
Et quæ terra virens illis Grolandia dicta est:
Hæc eadem à Borea gelida iam pene sub Arcto
Constituit curuata sinum, paribusq; Laponum
Creditur ex cultu simili contermina terris:

H

Quamuis prisca magis fueritq; illustrior olim:
Fama mare haud illic clausum, sed crescere ad Axem.
Perpetuo; arctoos donec gelidosq; Laponas,
Et fortunatos, rectaq; sub Axe iacentes.
Macrouios, circum versatis ambiat vndis
Acer, hyperboreus toto croniusq; vocatus
Littore, ad Hyrcani donec fluit ostia ponti.
Quod superest Scythicæq; plagæ borealis & actæ,
Is Scythicus premit Oceanus conuersus in ortus
Æstiuos, fluctuq; immanibus æstuat oris.
Illum autem extremi primoq; oriente calentes
Eoum populi memorant. at solibus Indum
Subiecti medijs alij, qui prima sub Austro
Regna tenent, post quem pelagus subfunditur ingens
Æthiopum, lateq; Australia littora plangit.
Talibus Oceani dictus circumfluus humor
Nominibus, terras adit, & se littore curuo
Inflectit, multosq; sinus, sed quattuor implet
Inducto ingentes pelago. nam Caspia ab alto
Vnda ferens aditum Borea curuatur, & æquor
Efficit Hyrcanum, ac dulcem fert hausta saporem,
Quippe vbi versatis longe est superata fluentis
Doris amara, cauo stagnant quæ plurima fundo
Persicus Hyrcanum contra sinus vrget ab Austro.
Tertius opposita Ponto regione receptus,
Læua habet Ægyptum, panchaia littora dextra.
Omnibus his longe spacioso ingentior alueo
Quartus ab occasu veniens illabitur æstu
Angusto, Herculeas inter refluente columnas:
Et nostrum interius condit mare, lataq; fundit

Æquora in Eoas penitus gradientia terras:
Quæ demum in geminum cornu diducta recedunt,
Inque sinus abeunt duplices: quorum alter in oras
It Boreæ, Euxinum curuato gurgite pontum
Conficiens: alter Austris aduersus, & Euris,
Ægypti pelagus Pamphilicaque æquora pandit.
Quattuor haud adeo celebres magno sale terram
Infusi sparsere sinus. quorum Indicus ingens,
Quique sui excæptat iuxta cognominis amnem.
Vritur & tumidis feruet Gangeticus Austris.
At validis Circi turbatur Gallicus auris:
Quique aditum haud lato Codanus borealior ore
Repperit in terras, qua Cimbrica Chersonessus
Scandauiæ obiecto boreali à littore distat.
Tantos terra sinus recipit: quæ littore quamuis
Perpetuo coniuncta sibi, & compacta cohæret:
Hanc tamen in ternas prisci discindere partes
Europamque, Asiamque ausi, quæque Aphrica monstris
Pullulat omnigenum regio fœcunda ferarum.
Europæ ac Libyæ in medio est nostri æquoris æstus.
Ast Asiam Tanais Boreæ de parte volutus
Diuidit Europa, Meotidaque influit imam,
Sauromatum terris Scythiæque rigentibus aruis
Limoso rapiens contraria flumina Nylo:
Ille sed occasum, Nylus magis aspicit ortum,
Ac leuibus fertur Asiam seiungere ab Aphris:
Nile diu tectos Solis sub limite fontes
Nunc retegis demum, ac medium septenus in æquor
Vndarum torquens immensa volumina condis.
Ergo Asiam è regione Euri, pluuialis & Austri,

Ac Boreæ præmit Oceanus: qui plurimus idem
Circuit Europam à Cauris auraq́ꝫ Fauoni
Necnon & cana fundens aspergine littus
Radit Aphrū, obiectū zephyro, atq́ꝫ australibus auris.
Nunc mare per medium, atq́ꝫ intus sinuata feramur
Littoraq́ꝫ, & multis celebres mortalibus oras.
Principio ratibus claras vbi condere Gades
Cœperis, ingressus geminis freta pressa columnis,
A dextra libycum pelagus se monstrat: & almum
Mane sequens Libycæ recta prætenditur oræ.
At parte ex alia terris maris æquor Iberis
Alludens, notum pelagi fert nomen Iberi.
Gallicus inde sinus Narbonem, extructaq́ꝫ Graijs
Mœnia Massiliæ attingit, speculæq́ꝫ Niceam
Suppositam abruptæ: dehinc vnda Ligustica terris
Obijcitur Ligurum, & saxosæ immurmurat actæ.
Excipit hanc mare Sardoum: cui protinus æquor
Transmisso Tyrrhenum instat, totamq́ꝫ secundum
Funditur Ausoniam, ac Siculis includitur oris,
Spirantiq́ꝫ freto: pelagusq́ꝫ ita continet ingens
Sicania, Herculeis longè dimota columnis.
Insula in Auroram: geminoq́ꝫ ea septa recedit
Distinguente freto à Calabris, Carthagineq́ꝫ alta:
Sed Libycas maior remouet distantia terras
Post vbi Trinacriam steteris, Lilybæaq́ꝫ saxa,
Æquora dextra petens, Libyci te protinus æstus
Excipient pelagi: Syrten fuge classe minorem.
At Siculum læua pelagus Sicania ad Eurum
Et Boream conuersa refundit littora, deinde
Nericios Locros, Rhegynumq́ꝫ alluit agrum.

Vsq; in Iapigiam, atq; Adriæ maris ora frementis.
Hinc latere aduerso Pelopis de nomine terras:
Ambraciæq; sinus implet, bimarisq; Corinthi.
At salis Ionij longè sinus exit in oras
Arctoi, Boreæ Siculis porrectus ab vndis,
Ioniumq; olim, mox & stetit Adria nomen,
Adria qui longè ingrediens haud gurgite lato
Dalmaticos dextra fines læua Itala seruat
Littora, in extremo summota Aquileia recessu est,
Nunc quoq; barbaricas mœrens Aquileia ruinas.
Hinc Siculo Ausoniũ pelago, atq; hĩc Creticũ inhęret,
Myrthoumq; mare: id Cretam iacet inter & Argos,
Atticaq; euersas plangentia littora Athenas:
Cui Melanes sinus, atq; ingens super imminet æquor
A Borea Egæum, lateq; regurgitat, vsq;
Thermęosq; sinus, & Thraiciam Cheronessum,
Hinc Hellesponti fauces: quo protinus ultra
Emenso, in pelagus crescit Propontidis vnda
Expatians, iterumq; coit propiore sub Arcto,
Euxino confusa mari: qua Thracius illud
Immissum excœptat angusto Bosphorus ore:
Quaq; ferunt geminos olim se aduersa mouentes
Immaneis scopulos, inflictaq; saxa sonanti
Concurrisse freto, uastoq; illisa fragore,
Excidium prensis non euitabile nautis.
Hic maris Euxini nobis aspectus in ore
Ponitur: occurrunt croceos vndantia in ortus
Æquora ab occasu longo porrecta meatu:
Curuanturq; sinus gemini, penitusq; recedunt
Alter in Auroram, atq; extremi Phasidos ora,

Ora subingressas longè admittentia classes:
Alter in occasum: qua se magis æquora curuant,
Fluminaq́ excipiunt immissa Borysthene ab alto:
In medio Euxinum positæ è regione coarctant
Ceu bimarem geminæ rupes; quarum altera in æquor
A Borea procumbit, & oblongam arietis atri
Designat frontem: & κρίου appellata μέτωπον
Altera in aduersum ex Asia subiecta Carambis
Dicitur, & recto de littore prominet vndis.
Ergo arcus Scythici recidens sub imagine Pontus
Fingitur: vt cuius Borealia littora cornu
Curua ferant præ se geminum, recta altera contra
Ducantur, tensi speciem præstantia nerui.
Imminet huic supra in Boream zephyrumq́ recedens
Mæotis palus, angusto, quam Bosphorus ore
Cimmerius fundit, strictoq́ eructat hiatu
Protinus Euxinum in pelagus, quamq́ accola matrem
Subiecti esse maris non vanus credidit autor.
Rursus in Eoum Cretæis tendit ab oris
Carpathium longè pelagus, Rhodon altaq́ lambens
Littora, sed contra Cretęi cærula ponti
Imbriferum Syrtis maior sinuatur in Austrum,
Et vada versato panduntur feruida fundo,
Quaq́ prius visæ medijs ceu vallibus vndæ
Nigrantes, altoq́ ingens fuit æquor hiatu,
Illic mox æstu reuolutæ æquantur arenæ,
Inflictæq́ vadis medio stant æquore puppes.
Huic minor assistit paribus famosa periclis
Syrtis in occasum, Siculi maris æquora contra,
Quas vbi transmissas Zephyris fœlicibus vsus

Liquit in Eoos contendens nauita portus
Ægypti pelago excipitur, imoq́ subinde
Sydonio, at postquam in Boream conuersa carina
Issico amœna sinu fœcundæ littora Cypri
Lustrarit, rursus proramq́ pedemq́ retorquens
In Zephyrum, fines Cilicum & Pamphylica viset
Æquora, littoribus curuis inflexa, draconis
In speciem, Mauris Libyæq́ arentibus aruis
Torquentis longo sinuata volumine terga,
Voluentis nodos, rursumq́ sub orbe legentis,
Quum sanie, & spumis stridet lita semita fœdis.
At postquàm Cilicum pelagus solisq́ cadentis
Lumina sera petens Pamphylica littora classe
Liqueris, aspicies Lyciæ Patareida summam.
Talia terrarum gremijs infusa recumbunt
Æquora, totq́ sinus, liquidis tot nomina campis.
Hic mihi Pierias sedes & Olympia Musæ
Culmina seruantes, medio memorate profundo
Quæ sedeant circum spumantibus insulæ in vndis.
Hesperio primæ cernuntur in æquore Gades:
Qua medias pater Oceanus perrumpere terras
Incipit, ac Libyam Hispanis discriminat oris.
Inde fretum ingressis, læuumq́ secantibus alto
Solis in æstiuos ortus iter, obuia primo
Scombria fit: paruoq́ noua Carthagine cursu
Distat, & Hispanum propius subit insula littus.
Hinc aliæ, quas exiguas transmittere præstat:
Maiores quoniam clarasq́ ego persequor oras
Non adeò exacta contentus imagine Mundi.
Nec procul hinc cursu Baleares Insulæ eodem:

Quæq; feris caret, & ponto ſtat Ebuſus Ibero.
At Ligurum portus ſinuataq́; littora contra,
Corſica per ſudum ſpeculis monſtratur ab altis,
Corſica ſyluarum multa præcincta corona.
Inde Taphro diſtincta freto, productaq́; in Auſtrum
Sardinia eſt, humana pedum veſtigia fingens.
Interius ſalſos æquat Planaria fluctus,
Et circumfuſis fallax vix eminet vndis.
Protinus Æoliæ ſeptem; quibus Æolus atro
Hippotades tenuit luctantes carcere ventos.
Vltra autem triplici procurrit in æquora rupe
Trinacrie; quarum Pachinus deſpectat in Auſtros;
In Zephyrum Lilybæa; Aquiloni aduerſa Peloris,
Fine ſub Italiæ,raucis vbi tranſitus vndis
Inuius,anguſtiq́; aditus, hinc rupibus atq; hinc
Obliquis, cauteſq́; inter ſinuata recuruas
Incurrunt freta ſalſa; ſonat rugitibus æquor
Horrendum,at trepidi pallent in gurgite nautæ.
Non ego vos Libyco Mœnix Cercinnaq́; ponto
Tranſierim haud longè ſtantes Syrtén ante minorem.
Non indicta breuis mihi Cercinitis abibit;
Quiq; Tynim contra ſcopulus, mediaſq́; paludes,
Exiguis ſpacijs immanem ſuſtinet arcem,
Teſtaturq́; Ducis fuerint quæ robora noſtri,
Quæ pietas, Enobarbũ Heros quibus Auſtrius armis
Expulerit peſtem Libyæ. Sed vertor ad Arcton
Ionijq; ſinum pelagi; qua gurgite læuo
Inſulæ Iapigiam ſpectant, vndiſq; minantem
Garganum,memores rerumq́; & nominis ambæ
Ætholi Diomedis, at ima vndantis in acta
Illyrici,

Illyrici, Venetumq́ vadoso in margine, terræ
Mille iacent intersectæ refluentibus vndis.
Præcipuè qua Meduacus Patauina per arua
Vorticibus placidis Superos deflectit in æstus,
Æquoraq́ Oceanum fluxu atq; imitata refluxu,
Quas procul aduenìens si quando accesseris oras,
Prospiciensq́ albos tum primum è littore fluctus
Videris, extemplò noua lux oblata, marisq́
Turribus extructi: facies insueta tenebit
Attonitum: tantæ moles, tot clara domorum
Culmina, tot medijs educta palatia in vndis
Aurea: quin dominam pelagi postq; hauseris vrbem
Ingressus, totum iuxta nil feceris orbem.
Præterea tractu præclaræ Absyrtides illo,
Cissaq́, Pullariæq́ adsunt ante ora Timaui,
Istrorum terras propius: quas deinde sequuntur
Quæq; Liburnorum positæ è regione tenentur,
Quæq; sub Epiro stant alta Ceraunia contra,
Insignis, Celadusa bobus, Braicia capris:
Tum Corcira, solum biferis memorabile pomis
Alcinoi: tum Nericij ducis ardua regna:
Epiriq́ abscissa solo peninsula Leucas,
Dulichiumq́ Malæacis & Echinades vndis:
Hinc magis Ionio residens Cephalenia in alto
Insula se ostentat, necnon frondosa Zacynthos:
Hinc Strophades geminę hinc veneri dilecta Cythęra
Inde mari medio longè protenditur ortum
Creta sequens, pelagoq́ vnum latus obijcit Aphro,
Alterum ab Ægæo præmitur sale: Carpatus vltra
Insula ad Ægyptum spectans Cretam inter & altam

Illuſtremq́ꝫ Rhodon:quam poſt,ad lumina Solis,
Sunt Taurum contra pelago ſuper incumbentem
Dira Chelidoniæ miſeris diſcrimina nautis
Tergeminæ; quas quum Venetus mercator in Ortus
Nauibus effugiens euaſerit,iam aſpicit alto
Carpathio Cypron opibus luxuq́ꝫ fluentem.
Proxima Phœniſſis Arados iacet inſula terris.
Aſt aliæ Ægæi vaſto ſunt gurgite clauſæ:
Quæqꝫ Aſiæ dextrum ſeruant latus ordine,quæqꝫ
Finibus Europæ aſſiſtunt,& læua ſecundum
Littora,in Arctoum Boream cedentia retro,
Seſtos vbi aduerſam iuxta conſpectat Abydum,
Anguſtoq́ꝫ aditu compreſſu Athamantidos Helles
Iungitur Ægæo pelagus.Ergo Attica contra
Littora ſunt,Salamis,altumq́ꝫ Ægina Pyræum
Inſpiciens mox Bæotis ponte additur oris
Euripoq́ꝫ Eubæa breui diſtincta recedit
Tum Scyros ventoſa,tum ſublimis Peparæthos,
Vulcaniq́ꝫ domus Lemnos,qua maximus vmbram
Eiaculatur Athos,non hinc Thaſos aurea longe eſt
Imbrosq́ꝫ,atqꝫ Samos,quę mox Samothracia dicta eſt.
Aſt Aſiæ in partem myrtoa Cyclades vna
Conceſſere,choro ſtabilem circum vndiqꝫ fuſæ
Orthigiam:poſt quam ſporades:quibus æquora late
Apparent inſperſa maris,ceu ſidera aperto
Quum diffuſa polo ſubluſtri in nocte renident.
Hic etiam Antandri ſaxum,hic Iunonis alumnam
Eſt vidiſſe Samum,Mileſia littora contra:
Inde Chium Bacchi donis et Apolline notam
Deueniens,montesq́ꝫ & ſumma cacumina cernas

Terrarum, circumfuso quæ marmore surgunt
Ægæo, Æoliam iuxta: quo lata recessu
Imo Lesbos inest, Tenedosq́ꝫ vbi condita classis
Argiuum Troiæ excubias Priamumq́ꝫ fefellit.
Est etiam Euxino fama clarissima Ponto
Insula, Pelidi sacram quam fecit auorum
Relligio, lucisq́ꝫ animas volitare ferebant
Magnanimum Heroum: ac Leucen dixêre, quod albis
Nitentes pennis volucres, illo vndiqꝫ tractu
Educat, aduerso subiecta Borysthenis ostio:
Phænagore ad leuum latus est, post ora paludis
Insula, & vrbs illo claram se nomine iactat.

DE PARTITIONE ORBIS, Liber secundus.

EXin tergeminas Orbis diuellere partes
Protinus in patrias, insigneisq́ꝫ exequar oras,
Orsus ab Europa, varijs ea gentibus omnis
Incolitur, nisi qua vastis iacet obsita syluis,
Aut deserta cauis fluuio stagnante lacunis
Planicies, rupesq́ꝫ vacant cultoribus altæ:
Id niuibus Ioue & assiduis curante pruinis.
Ipsa sibi pacisq́ꝫ artes belliq́ꝫ paratus
Sufficit, ac longe ingentes Europa ministrat:
Ipsa sibi est satis, externæ nihil indiga terræ,
Diuersamq́ꝫ trahit variæ sinuata figuram:
Atqꝫ has vna simul iungens tot colligit oras.
Æthereo primam quum Sol decedit Olympo
Respicit Hesperiam: gemino velut insula ponto

Quæ reſidet, mediumq́ꝫ Salum iacet inter, & æquor
Oceani: in Boream qui littora verſa, leuesq́ꝫ
In zephyros, domat adductis Athlanticus vndis
Monte ſacro tenus: hinc raucis latus vrget ab Auſtris
Herculeam ad ſpeculam: mediū qua deinde profundū
Incipit inflecti ad montis iuga celſa Pyrenæ,
Pyrenæ iuga celſa; æſtiui lumina ſolis:
Quæ recipit, clauditq́ꝫ Iſthmum, Galloſq́ꝫ coërcet.
Ipſa ingens regio paucis exercita aratris,
Incultisq́ꝫ iugis breuibusq́ꝫ aſperrima ſyluis.
Quippe vbi non campi putres, non humida riuis
Paſcua, ſed tenuis ſemper ieiunaq́ꝫ tellus,
Præcipuè in Boream Oceani qua parte tumentis,
Excipit incurſus, nec nullo frigore torpet.
At latere aduerſo Herculeis propiore columnis,
Frugibus expletos vlli non inuidet agros.
Illius è medijs ducens regionibus ortum
Tendit in occaſum largo Tagus aurifer amne,
Nec longè Celtis fluctus deducit Iberis,
Diues Anas: qui dehinc madidū conuerſus in Auſtrū
Ingreditur mare purpureum, mediamq́ꝫ relinquit
Planiciem Celtis, & tranſpoſitis Luſitanis.
Nec minus & Bethis, quo Bethica nomine fertur
Fœlix ingenijs regio, torquetur eodem
Quo deuectus Anas verſat ſua flumina tractu,
Sedibus haud alijs manans: amboq́ꝫ feruntur
Sacræ inter rupis ſpeculam, læuaſq́ꝫ columnas,
Atq́ꝫ ambo gemino nituntur in æquora cornu.
Inde fretum iuxta Herculeum latera ardua Calpe:
Attollens mons ſubiectis breuis imperat vndis.

At Turdetani degunt regione coloni,
Quàm placida Bethis tardans interfluit vnda;
Plurima pascentem fœlicibus hubere campis
Oppida: miraturq́ꝫ domos, digestaq́ꝫ ripis
Putri arbusta solo, iuuenumq́ꝫ opera atqꝫ labores,
Inuectasq́ꝫ rates, & ripis errat amœnis.
Hunc super, vnde rigens Boreas cadit, vndiqꝫ lætos:
Argenti atqꝫ auri videas indagine montes.
Nec minus & regio, ac flaua micat omnis arena
Amnis, & effossi grumis rutilantibus auro
Splendescunt tumuli: nec Crysoplysia desunt
His celebrata locis: nec quicquid diuite fœlix
Fundit humus cornu, pecudes liquataq́ꝫ mella,
Purpuraq́ꝫ, miniumq́ꝫ rubens: quid vellera dicam?
Quid conchas? quibus ora mari vicina referta est?
Glandibus & pingues sparsis in littore Tynnos?
Vtqꝫ ea tuta feris rabidisq́ꝫ incognita monstris,
Sed breuium quondam leporũ plaga prodiga, ab illis:
Iam fuerit vexata; solo qui sæpe latentes
Innumeri fodêre cauas, penitusq́ꝫ resecta
Perniciem radice satis, syluisq́ꝫ dedêre.
Sed quid ego hinc alias iam non festinus in oras
Digredior? neqꝫ cuncta meo percurrere sedit
Carmine, & Hispanis tantum consistere terris.
Non tamen indicta prorsus Lusitania abibo:
Maxima quæ Hispanæ regio telluris, & armis
Ac leuium superare dolis asueta virorum:
Hanc latere australi cingit Tagus, actaq́ꝫ longo
Vettionas per agros Carpentanosq́ꝫ fluenta
Voluit agens cursu, Celtasq́ꝫ vnde ortus Iberos.

Deſerit, ac demum redeuntibus æquore ab alto
Nauibus occurrit, ingentiaq́ oſtia pandit.
Præterea à Zephyro fluctu Luſitania uaſti
Spargitur Oceani: at renouatæ lucis ab ortu
Toleti impendet regio: tum maximus amnis
Durius à Borea longè prætenditur: vltra
Galleci aſſurgunt populi, qui montibus altis
Inſedêre, animis pugnæ manibusq́ parati.
Ipſa autem in Zephyrum ac gelidos Gallecia Cauros
Funditur Oceano, & terrarum terminat orbem.
Hinc ad Pyrenem ſedes, aſperrima cultu
Gens habet, & ferri venas rimantur in antris,
Aut mare ſollicitant, primamq́ per æquora laudem
Seu remis inſurgere opus, ſeu currere velo,
Cantaber, atq́ auri diues ſibi vendicat Aſtur.
Quæ vero noſtro perfunditur æquore, & inter
Calpemq́, & collem media eſt plaga Pyrenæum,
His diſtincta locis colitur pulcherrima tellus.
A'Calpe vſq́ nouæ ad ſedes Carthaginis, agrum
Baſtuli paſcuntur, Oretaniq́ marinæ
Oræ incumbentes: ſupra quam, vertice collis
Frondoſo atq́ auri miris præſtante fodinis
Erigitur. ſed amœna lacu, tum commoda portu
Carthago reliquis illo ſe littore iactat
Vrbibus: hanc inter, & Pompeiana Trophęa
Pyrenes erecta iugo, & vergentia in æquor,
Inſidet Auſonijs vrbs oportuna carinis,
Scipiadumq́ erecta manu, & molimine magno,
Tarraco. tum Pyreneas flauentis ad arces
Planicies profertur agri, qua plurimus vndam

Torquet agens longo cantabris montibus amne,
Suſceptisꝗ tumens fluuijs augetur Iberus.
In medio terras Celtas inuertere Iberos,
Ac loca dura ferunt, ruptisꝗ vndantia quondam
Aggeribus. nunc tempus Ibera excedere terra
Vrgentem latos Gallorum inuiſere fines.
Gallia Pyrenen citra fœcunda recumbit
Prole virum, Martem melius quàm florida rura
Exercentum in equis, in apertaꝗ bella ruentum,
Quiꝗ manu facta crepitantia ad arma repentè
Concurrant, nec multa dolo meditentur & aſtu.
Tota ferax curuis regio ſulcatur aratris,
Nec milium glebis, frumentaꝗ læta ſubactis
Abnegat, & tota eſt paſcendis commoda tauris:
Ac paſſim pecori ſuperanteîs ſuggerit herbas:
At non tota ferens ſtirpis pallentis oliuæ eſt,
Nec penitus mites præbens in collibus vuas.
Quæ vero medium tellus proſpectat in æquor,
His fruitur fœcunda bonis. Nam Gallia Rhenum
Germanos contra ſtatuit, qua luce coruſcat
Orta dies, Italisꝗ alpinas obijcit arces.
In Boream vero, & lucem conuerſa cadentem,
Oceano patet, atꝗ Hiſpanis iungitur oris.
At maris interni ſinuatas excipit vndas
Limite ab Auſtrali: magnasꝗ ea quatuor omnis
Scinditur in partes, quarum curuata profundo
Occiduo ex tumulis Aquitania Pyrenæis,
Proditur in Boream, iunctis contermina Celtis
Ad Ligerim, multo trans auctum fonte Garumnam:
Qui medijs orti Gallorum è montibus Alto.

Hesperio largos tendunt immittere fluctus.
Partem aliam Ligeris porrectam clara secundum
Flumina solstitij æstiui diffinit ab ortu
Sequana: at à Borea & vehemens qua Circius efflat,
Alluit Oceanus: Lugdunensemq; vocarunt
Lugduni memores præclaræ his finibus vrbis:
Atq; illam Galli tenuerunt nomine Celtæ.
Tertia pars inter Rhenum, & tua Sequana sidens
Flumina,ad Oceanum Belgis transcribitur omnis.
Addita Narbonis regio: cui vertice ab alto
Surgunt Gebennæ, & præcelsa cacumina Iuræ,
Contra autem australi,atq; interno funditur æstu
Omnis,& antiquum seruat Prouincia nomen,
Fertilis, æquariq; Italis dignissima regnis.
Hanc inter rapido Rhodanus fluit impete aquarum,
Interiora petens cursu maria usq; citato:
Cui plaga quæ læuum seruat latus,inter & Alpes
Clauditur, ad rapidi pertingens flumina vari,
Pluribus optenta est populis: quos flumina celsis
Alpibus in Rhodani dirimunt labentia fluctus.
At mihi Gallorum gentem comprendere versu
Difficile est: quorum nostris inscribere chartis
Nomina Musa vetat, reliquasq; attingere partes
Iamdudum properat. Belgæ terquinq; potentes
Gentibus, ad Rhenum quondam sua regna ferebant,
Mox autem ad Scandem & medio post flumina sistũt
Sequanę ad Oceanum spacio: nam cærulus illuc
Sequana, ab aërijs ductos mouet alpibus ortus:
Lutetiamq; caput regnorum intersecat vrbem,
Lutetiam,qua non florentibus altera Athenis
Moribus

Moribus vrbs Sophiæq́ magis contendit honore:
Ille suum vertens campis iter, exit in æquor
Oceani, Caurum aduersus, mediosq́ Britannos.
Hic & Bellouaci belli gens inclyta fama
Et Rhemi, & quorum tellus Campania dicta est:
Hic vbi pugnandi præceps incesserat ardor
Cognatas acies, discordiaq́ agmina turbat:
Hinc Cæsar gelida rapit indefessus ab Arcto
Immanes populos, vnaq́ Britannus, et omnis
Effera conspirat magno Germania motu.
Hinc Rex horrisono secumq́ excita tumultu
Gallia, sollicitant martem, atq; effundere certant
Alterutrum, & multo furias explere cruore:
Nec tamen ardentes pugnæ fiducia Gallos
Sustinet: ast acies æquo committere campo
Et conferre pedem veriti: tum mole tonante
Mœnibus eiecti Legnij, Sanctiq́ Desiri,
Exposcunt pacem; atq; Oriens Dux, regia proles
Cæsaris accessit solium, precibusq́ decoris
Obtinuit: quoniam semper sic horrida dextra
Bella gerit Cæsar, placidam ut ferat altera pacem.
At rota digressum terris nimis incita currum
Sæpe rapit: quare flexis reuocatus habænis
Vertor ad Eluetios, & qui iuga summa Aduellæ
Attingunt montis, Rheni caput vnde fluentis,
Atq; Aduæ, sed enim diuerso tramite Rhenus
Pergit in Arctoum pelagus, crassasq́ paludes
Implet aquis, spargitq́ lacus: tum flumine terras
Diuerso petit extremas, & in æquora tendit
Hos tractus atq; hæc borealia littora circum

Menapij Bataui'q; habitant, populi'q; Caletes:
Illic & Morini, & fœlices Præside sacro
Atrebates: illic Gorduni, & nuper alumno
Vrbs infida suo, quam non reuerentia mouit
Cæsaris hinc orti, gestarum aut gloria rerum:
Ille tamen domitam validis infrenat habenis:
Eductum'q; minis castellum appellat Habenas.
Hactenus vndosi late trans flumina Rheni
Nunc immissa suos profert Germania fines:
Mutatæ sedes, conuersa'q; nomina regnis,
Geldria nunc illic regio, atq; Holandia fertur.
Atq; solum, quo Dura fuit, quæ spernere iussum
Cæsaris ausa, nefas, iuuenem'q; secuta furentem,
Triste tulit fidei exemplum deperdita fractæ.
Flandria sed terras illis supereminet omnes:
Flandria barbariem, ritus'q; exuta priores:
Atq; olim assiduis belli plaga vasta procellis
Hæc erat: arua situs, syluæ'q; inarata tenebant:
Et passim horrentes surgebant vndiq; vepres:
Tristis vbiq; locis squallor, latebræ'q; ferarum:
Nunc vrbes, arces'q; nouas, & amœna locorum
Mirari licet: vt late viridantibus aruis
Se placidi attollant tumuli, vt prospectus ab alto
Florentem in campum, & digesta arbusta per agros
Non aliter quadret, mentem'q; oculos'q; moretur,
Quam si Parrhasio, aut palmam indignatus Apelli
Zeusis, in antiquis effinxerit illa tabellis,
Omnia componens, fuluis'q; coloribus agrum
Sparserit, & liquidas terris induxerit vndas,
Exiguos'q; lacus, tectos vmbrantibus alnis,

Et circum virides ripis in mollibus herbas.
Nec quisquam inspectans muros, atque oppida lecto
Structa solo, damnet circosque & strata viarum
Artifici dimensa manu, & posita ordine tecta,
Fanaque, mœniaque & pulchris data iura theatris.
His tu præcipue terris mirabere matrum
Ingenium, formæque decus, animosque viriles.
Illis cura domus quamuis impendeat omnis,
Sæpe etiam merces, atque extra limina tractant,
Perque vias, interque viros versantur: at illi
Egregij claris exercent artibus annos,
Vestigant rerum causas: pars arma capessunt,
Pars vegetis nemorum in saltus venatibus errant.
Hic nunc virtutum palmæ, decora inclyta Martis,
Magnanimæ gentes: hac se gratissima cœlo
Extendit regio, & Regum domus alta meorum.
Hic decus est, hic romanæ facundia linguæ:
Huc Latium migrauit, & his pius editus oris
Vella Pater creuit, et vos patris aurea proles.
Hæc eadem ingenti tellus se iactat alumno,
Qui nunc Imperio terras, sua nomine sæcla
Illustrat, nostrumque immissa pace per orbem
Tendit in Auroram, & terras pietate carentum,
Arma, crucemque ferens: subsidunt æquora classi
Augustæ, et pandis neptunia regna carinis:
Ipse manu torquens humanæ insigne salutis
Pacatas vocat Hesperias, septemque Triones,
Protinus in partem, & tantarum præmia laudum.
Iam satis huberibus Gallorum errauimus agris,
Continuo hinc ingens visenda Britannia nobis

Inſula ternorum laterum deſcripta figura:
Quorum vnum longè maius prætenditur Auſtris,
Littoreæꝗ₃ plagæ: qua Belgica terra Britannum
Diſtinet Oceanum, & breuis eſt traiectus vtrinꝗ₃.
Ergo omnis breuibus diſtincta Britannia cliuis:
Quæ reliqua eſt medij facies planiſſima campi,
Et pecoris diues, & frugibus vtilis almis,
Arbuſtisꝗ₃ viret per culta comantibus arua:
Hic nebulas Sol mane nouo vix diſcutit agris
Vſꝗ₃ recumbentes ſubuecti ad lumina currus:
At non ſolſtitio cœcis nox atra tenebris:
Sed dubiæ potius cernas crepuſcula lucis.
Hinc mihi fert animus redeunti vertice ab alto
Dicere, qui Gallis primi ad ſpectacula ſolis
Iungantur populi frondoſisꝗ₃ alpibus errent:
Nam primi Ligures rapidi poſt flumina Vari
Immaneis habitant rupes, vrbemꝗ₃ Nicæam,
Herculeos portus, præruptaꝗ₃ ſaxa Monechi.
Albionꝗ₃ Intemelium, & ſtatione receptam
Vrbem Albingauni: Ligures quo nomine dictos
Hos Intemelios memorant, at protinus illos
Ingaunos, omnes Italo ſe iure tenentes:
Quos iuxta reſident Genuæ inuidioſa nouercæ
Molibus obſtructo Sabatia mœnia portu.
Hinc Alpes ortæ gelidam tolluntur ad Arcton
Aſſiduis canæ niuibus, populosꝗ₃ Brachatæ
Galliæ, & Inſubres inter diſcrimina ponunt.
Atꝗ₃ hinc Taurinos: illinc habitare Medullos
Alpinas compertum arces: qua parte rapacem
Irrumpens Iſar Rhodanum miſcetur in vnum,

Hos ſupra Varagri, Nantuatæq́ꝫ feruntur,
Lemanusq́ꝫ lacus, Rhodanus quem perſecat ingens,
Caturigesq́ꝫ, & quos nunc dicta Sabaudia paſcit,
Quiq́ꝫ tenet fontes Rhodani, quiq́ꝫ accolit ortum
Labentis Rheni gelido de monte Aduellæ:
Vnde Aduę curſus agitant enata fluenta,
Per Rhetos rauca longè crepitantia valle,
Como incumbentes Rhetos, vbi dulcia Bacchi
Munera, & apricis nigrantes collibus vuæ.
Hinc adeò conuerſæ Alpes torquentur in Euros,
Germanosq́ꝫ Italis curuo velut aggere ſeptis
Excludunt: Rheti venalia ad arma ruentes
Bergomeas ſupra valles verſantur, & altis
Montibus inſiſtunt populi. Nam Rhetia ad Auſtrum
Imminet Italiæ, & vergentes occupat Alpes
In Boream, Europæq́ꝫ omnes ſuper edita terras
Danubiumq́ꝫ, Aduamq́ꝫ parit, Rheniq́ꝫ fluenta
Excitat, & partes fundens deuoluit in omnes.
Atq́ꝫ ea prima Lico ex Euris includitur amne:
Qua noua Griſonum pubes, veteresq́ꝫ Sueui,
Quaq́ꝫ Acromũ ſpectare lacum eſt, arcemq́ꝫ Briganti.
Altera ab Auroræ ſpeculis huic Rhetia Primæ
Subijcitur, fluuiumq́ꝫ Lici iacet inter & Oenum,
Qui medias ægrè ſcopulis luctata per Alpes
Flumina Danubium voluens deturbat in altum:
Hisq́ꝫ Auſtri de parte iugis Atheſina recumbit
Rhetia, Veronam ſupra. Tum protinus inſtant
Norica qui caſtella tenent, terrasq́ꝫ patentes
Ex Oeni fluuio montis iuga ad edita Cætij,
Danubij ripam citra: quo tramite Iulæ,

Carnorumq́ sedent Alpes, maria intima supra,
Adriacosq́ sinus, hic Alpibus exitus altis:
Quæ veluti tensum sinuato limite in arcum
Italiæ basim claudunt; medioq́ Salassi
Subsedere sinu, & montes tenuere reductos.
His mirum quæ tecta iugis quæ condita castra,
Quot populi alpinis peragant in montibus æuum:
Quippe vbi nec Cereris, nec mitis copia Bacchi,
Sed nemora abietibus patulaq́ vmbrantia fago,
Et piceæ pingues, Orniq́, famemq́ leuantes
Castaneæ: hæc inter pecoris balatibus æther
Pulsatæq́ sonant valles; tum iugiter illi
Ferro exercentur, duriq́ incudibus enses
Assiduè crepitant, pars mollia pensa Mineruæ
Vrget opus, pars effossas educere cotes,
Obnixi subeunt latebras, & viscera montis,
Aut etiam argenti venas, aut diuitis auri
Vestigant, auro tellus se Norica iactat,
Atq́ auro nonnulla fluunt vaga flumina, quorum
Serrius haud viles ac Duria voluit arenas:
Serrius, emissa olim qui Vere madenti
Plenior Alpinis deuoluit fontibus vndas:
Et patriæ in campis pelago vagus errat aperto
Bergomeæ: ac nostram iuxta prælabitur vrbem:
Cuius prima sacro dederint qui nomina monti,
Quæ natura loci, quæ lætæ industria genti,
Altius hæc alij repetunt, artesq́ virosq́
Commemorant: verum omissas iniuria matres
Attigit, egregio nec reddita gratia sexu:
Illarum obliti præconia condere, castis

Moribus,& raro decori nocuere silendo,
Fæcundisq́ꝫ vteris: quæ nunc ego maxima fando
Dona Deum,cur dissimulem? tacitosq́ꝫ relinquam
Virginei cultus & matronalis,honores?
Has aliquis spectans sacraria ad alta frequentes
Quum venere,gradum,properet licet,aduena templo
Sistit,& admirans viuæ tot lumina formæ,
Tot claras pietate nurus,habitusq́ꝫ decoros,
Oraq́ꝫ,nectareosq́ꝫ sinus,defixus in illas
Lumina,hiat:studioq́ꝫ magis gaudere videndi
Incipit,& dulcem nutrit sub pectore curam:
Atqꝫ his hærentem dictis affatur amicum.
Quas ego non vrbes terraq́ꝫ mariq́ꝫ profectus
Lustraui? quæ non merces atqꝫ arma secuto
Terra inspecta mihi,moresq́ꝫ & nomina gentis,
Et quæcunqꝫ suis regio est memorata puellis?
Attamen his nondum spetie, gratoq́ꝫ lepore
Præstantes pariter reperi; sint læta Caystri
Flumina Mæonia circum ludente chorea;
Sint Venetæ insignes; maneat sua gloria Achæis;
Spartanisq́ꝫ sua; & Genuæ viridantia amentur
Littora formosis:sint & sua nomina Tuscis
Virginibus; raraq́ꝫ Hispanæ laude ferantur.
Sic aliquis fatus,quanquam via longa morantem
Sollicitat,mensoq́ꝫ dies inclinat Olympo,
Vix tamen abscedit,lentusq́ꝫ euellitur vrbe
Bergomea,qua me prodisse in luminis auras
Gratulor,Augustæ prisco de sanguine gentis:
Quæ Latium mœrens patriam,Romæq́ꝫ penates
Desertos referens,Augusti in honore vocari.

Obtinuit, diciq́ʒ tuo de nomine Cæsar:
Atqʒ ita testatum sæclis fecêre futuris,
Quos animos in rem Imperij, quam pectore curam
Magnanimi fouere viri: quorum acta secuti
Nos sua progenies studiorum & nominis hæres,
Atqʒ animos atqʒ acta pijs totamq́ʒ dicamus
Cæsaribus pronamq́ʒ domum, semperq́ʒ fauentem
Augustam Augustis. At me percurrere terras
Ausonidum iuuat, & triplici pulsata Profundo
Littora, nam Siculum longe procurrit in æquor,
Humentemq́ʒ Notum veluti peninsula tellus
Italiæ; læuum cui contegit Adria littus:
Tyrrheno dextrum pelagi subfunditur æstu:
At gelidæ contentum Alpes curuantur in arcum:
Circuitu in Cauros sinuato, & vertice montis:
Extremi quarum fines super vtraqʒ ducti
Æquora deueniunt, Superiq́ʒ, Imiq́ʒ recessum
Attingunt pelagi, iunctis vbi collibus ingens
Ad niueas Alpes Pater applicat Appenninus:
Qui deinde in Tuscos penetrans, Solemq́ʒ secutus
Surgentem, petit Anconis clausa æquora portu,
Et Ligurum dextra littus, planissima leua
Camporum linquit spatia, hinc deflexus optimæ
Per medium Italiæ graditur, Picænaq́ʒ rura,
Lucanosq́ʒ, vbi se rursus detorquet in agrum
Rhegynum, Siculisq́ʒ fretis adit vsqʒ minantem
Leucopetram. Verum alpinis putris æquora campi
Interclusa iugis, & pinifero Apennino
Romani florem Imperij, perlabitur ingens
Eridanus, Vesuli qui montis origine missus
Præcipiti

Præcipiti in Boream, placido mox gurgite ſeſe
Flectit in Auroram, terdenaq; flumina torquens
Diuiſo Adriacas pelago defertur in vndas.
Sic omnis campo varie diſtincta, iugisq;
Italia eſt, frugum populorumq; optima nutrix:
Ac ſi qua aſperior montis natura maligni eſt,
Nec frugum docilis, mores tamen vſq; colendo
Abijcit agreſtes, alimentaq; mitia præſtat:
Illuc aprico preſſis ceruicibus agrum
Important ſaxo, vinetaq; in ordine ponunt:
Aut oleam infodiunt, aut pullæ germina ficus,
Et campum florere docent in cautibus, illic
Maſcula & aſſiduo pubes durata labore:
Namq; vbi maior adeſt ſpatioſis huber in agris,
Illis lenta magis mortalibus ocia curæ:
Et lyra commiſſas agitat pulſata Choræas.
Præcipue hiſpanis poſtquàm prouectus ab oris
Auſtrius affulſit terris inſubribus Heros,
Imperijq; inſigne ſacrum, & Diadema recepit:
Tum poſitis belli furijs, & pace reducta,
Depreſſæ vicio leges, deſuetaq; iura,
Surrexêre: viri campos vrbesq; relictas
Iam repetunt, non his litui, non claſſica ſomnos
Excutiunt inflata leues, adamataq; turbant
Ocia, ſed placida degunt in pace quieti:
    Quod reliquum Europæ eſt ingens interſecat Iſter:
Qui caput attollens Abnoba è monte refuſum,
Fluminibus creſcit niueas linquentibus Alpes:
Principioq; Notos, conuerſo hinc agmine Pontum,
Auroramq; petit, multis immane volutus

Camporum ſpacijs: huius Germania leuo
Prima ſedens lateri, vergit Borealis ad vndas
Oceani; poſt Germanos Orientis in oras
Dacia ſubſequitur, Getici pars maxima tractus:
Nam Geticis ſemper terris prætentus ab Auſtro
In mare decurrit, largusq; elabitur Iſter.
Baſtarnæ ſupra Dacos, à vertice ſiſtunt,
Tyrrigetæ poſt Baſtarnas ad lumina Solis
Prima, Boryſthenei liquidum trans fluminis amnem:
Hinc equitum numero ingentes cernuntur Alani;
Neuriq;, Hippopodesq;, & cæruleas Agathyrſi
Poſtremo gens picta comas: non his Vaſilæi
Finibus abſiſtunt, Hippimolgiq;, Geloniq;,
Et Tauri, & Nomades, & qui media æquora campi
Inter habent Tanaim Clarumq; Boriſtenis amnem
Sauromatæq;, & Rhoxani: ſuper hos Arimaſpi
Quos iuxta populi Periphori aſtare feruntur
Altius, indomitasq; hiemes & frigora mœrent:
Hinc & Ryphæos montes, damnataq; frugum
Arua vice, ac Boreæ ſedem dixere niualis.
Hæ populis habitæ ſedes ea nomina quondam
Sauromatis: qui Germanos Orientis ab oris
Contingunt: varios diſcriminat Iſtula fines:
Iſtula Prutenos peragrans, quem Carpatus amnem
Exiguum primo muſcoſis nutrit in antris:
Ille petens Boream, fluuijsq; & robore creſcit
Auctior, atq; onerum patiens preſſæq; carinæ,
Vſq; per immenſos reuoluto flumine tractus
Balthea ter gemino defertur in æquora cornu:
Baltheo enim pelago alluitur Germania ad Arcton,

Nunc Rhenum in Gallos, nunc et transgressa tumentē
Danubium, supra Italiam, populosq́ꝫ Togatæ
Galliæ, & aëreas Altæ sibi vendicat Alpes:
Verum olim indomitam pauit Germania pubem,
Diuisumq́ꝫ genus gentes in quinqꝫ recepit:
Ingeuonasq́ꝫ super gelidum appellauit ad Arcton
Littora seruantes, fluxu vexata refluxuq́ꝫ
Oceani, & Daniam nunc, Cimbrorum Cheronessum:
Tum qui Danubij & Rheni accoluēre fluenta
Isteuonas, at qui trucibus confinia Dacis
Oppida complerunt Peucinos nomine dixit:
Hos omnes inter, medijs considere terris
Hermiones dicti, quartum genus: vltima ad Alpes
Consedit Germanorum vel maxima pubes
Vindelici, ast illis iam sunt noua nomina terris,
Austria nunc illic fertur contermina tellus
Pannoniæ: qua Turcharum trepida agmina Cæsar
Dispulit, atqꝫ vrbem leuat obsidione Viennam:
Austriæ ab Occasu propius Bauaria inhæret:
At super Hercinia est præcincta Bohœmia sylua:
Nomen adhuc priscum retinent Phrysijq́ꝫ, Toringiq́ꝫ,
Hessiq́ꝫ, & Misni: quiqꝫ in loca proxima Rheno
Migrarunt Catti, & montis saltus Meliboci:
Quid memorē Sueuos? quid Cimbrica Chersonessus
Quos habet, Oceani crescenti obnoxia fluctu?
Quid Francos? quorum Gallis præclara subactis
Gloria perducto in victos cum nomine durat.
Saxonas an populos sileam? qui fulmine & actis
Pontificum offensi nimiaq́ꝫ cupidine habendi,
Spernere cæperunt, ac mox indicere bellum

Romano Imperio fanda atque infanda profati:
At bonus errantes iustis compescuit armis
Cæsar, & algentem capto Duce fregit ad Albim,
Nam celebres Germani amnes. Mœnusque, Nicerque,
In Rhenum elapsi, quorum viridantia ripis
Vicinumque procul frondent vineta per agrum,
Necnon Amisius, necnon & Sueuus, & Albis,
Lupiaque, & Visurgis, arondineusque Viadrus,
Omnes Oceani properantes æquore mergi.
Hæc passim frumenta ferunt & pabula terræ,
Pinguia, nec vitis latices plaga plurima dulceis
Abnegat, ac varios ramis inducere fructus.
Exin Sarmatiæ populos cognoscere promptum est:
Ingentes, nam plana illic Polonia latè
Proditur, & regno fines protendit apertos,
Docta fidem, & mores posita feritate benignos,
Rutenis illi ex oris Phœbeia lampas
Emicat, occasum seruat Germanica tellus,
Carpatus Vngariam mons interiectus ab Austro
Summouet, in Boream conuersa Porusia surgit,
Danubij Vngariam Tibiscique alluit amnis,
Influit australem qui piscosissimus Istrum,
Tibisco saltus à flumine Transyluanos
Perfidi in Auroram populi tenuêre, Deumque
Immemores, qui dum sacri mandata recusant
Imperij, & Ferdinandi iustissima sceptra
Impugnant, Turcis regnum cessere vocatis
Pannoniæ, dirique iugum subiêre Tyranni.
Vallachia vlterior tellus ad littora Ponti
Spargitur, & trucibus parens Moldauia Turcis.

Has super in Boream fœcunda Podolia tendit
Sarmaticos vltra montes, & flumina Tyræ
Russia qua Tanais fluuium & Mæotidis æquor
Obijcit Auroræ, mediamq́ꝫ Leopolis vrbem
Sustinet, & late florentibus enitet aruis,
Hanc bello assiduè cursu confisus equorum
Tartarus exercet; vastatisq́ꝫ ingruit oris,
Imminet huic gelido surgens Lithuania ab Axe,
Metropolimq́ꝫ nouo serpat cognomine Vidnam,
Pruteni præpingue solum cultuq́ꝫ frequenti
Frugiferum exercent: namq́ꝫ omnis ab æquore tractas
Baltheo ad Hircanum pingui fœcundus arista est:
Hic vbi iacta semel culto vel segniter agro
Semina sufficiunt triplicem mirabile messem,
Continuoq́ꝫ tribus pariter redeuntibus annis
Alma Ceres flauis iniussa resurgit ab aruis:
Nec minus hic herbas riguis mirabere campis
Surgentes, vallumq́ꝫ una sub nocte tegentes:
Vtq́ꝫ apium syluas resonent examina passim,
Immensumq́ꝫ trahant longa sub luce laborem:
Hinc grandeîs cærarum orbes, & copia mellis
Plurima diuisas longè defertur in oras.
Prusia ab Arctoo Codanum mare sustinet axe
Succina qua gelidis durata leguntur in vndis:
Occidua est illi ac propius Saxonia sistit,
Poloni australes, Amaxouitæq́ꝫ feruntur:
Hinc magis in Boream æstiuiq́ꝫ Orientis ad oras
Surgit & ipsa sciens sacri Liuonia cultus,
Sarmatico vicina mari, Codanoq́ꝫ gelanti
Terra sinu, citra Tanaim, qua lucibus octo

Maturatur iter. Codanum Cronos influit amnis
Sarmatiæ: ast alia de parte Borysthenis vnda
Inuehitur Pontum, & memorabilis Axiotæ.
At Tanais supra fontes latissima regna
Moscouiæ procul excelsam panduntur ad Arcton,
Æstiuos'que ortus, Iuhræ Corelæ'que supremis
Orbis, & è gelidæ Scythiæ dominantia terris:
Qua domus Edoni Boreæ, & iuga longa frementi
Oceano prætenta iacent, elata'que collem
Perpetuum obiectat borealibus ora procellis,
Albus & immensos terræ lacus excitat amnes
Moscouiæ, Vohlam ingentem, geminum'que Duidnã,
Ocham'que, Tanaim'que, & de quo Russia nomen
Alba tenet Moscum, ripis cui regia longe
Vrbs sita Moscouiæ est, educta'que lignea tecta,
Is'que omnis campo tractus porrectus aperto est
Inuius, æstiuis quum stagna caloribus illic
Plurima liquantur, Scythicæ tum maximus amnis
Sarmatiæ ignotas largo velut æquore terras,
Tempore vbi intumuit certo, & sola plana Duidna
Alluit, & pingui campos obtendit arena,
Nec non Hercinia æstiuos profertur in ortus
Sylua feris pollens varijs, nunc vndi'que cæsis
Rarior arboribus, multo'que exculta nouali.
Nunc age supremos tractus audire sub Arcto
Ne pigeat, Codanum'que sinum, qui Cimbrica iuxta
Littora fert aditum à Zephyro, & lunatus in ortus
Æstiuos longe penetrans, Germanica dextra
Littora, Prutenos'que habet, & sub fine Liuonos.
Ast aliquot læua finibus procurrit ad Axem

Imparibus, quorum maior compressus Alanda
Insula, vbi angustis deprensa in faucibus hæret,
Finnonicus, Sueticusque locorum agnomine dictus:
Huius ab Aurora dextrum Finandia littus
Obtinet, in Boream pretiosæ Bothnia pellis
Diues limitem habet: lateri peninsula leuo
Assidet Europæ descripta in partibus altæ
Schondia, & hoc tandem nobis illustrior æuo:
Namque in hyperboreis hirtisque Laponibus ingens
Incipit, & longe pluuios descendit in Austros
Schondia, clementis cœli, & telluris amœnæ,
Quæque diu nouus Orbis, & altera credita tellus.
Hanc latere ex triplici tumidum circumsonat æquor:
Hinc sinus ex Ortu Sueticus: Contrarius illinc
Alluit Oceanus, residet quo maxima Thule:
At Codani australe spargunt freta Balthea littus:
Per mediam immensi tendunt à vertice montes,
Noruegiæ tractum à Suetia Gothiaque secantes,
Limite inaccesso & longe discrimine vasto,
Surgentem Suetia ad Solem & Sueticũ patet æquor,
Ad medium Gothia, inque sui mare nominis exit,
Noruegia Oceano est Phæboque exposta cadenti,
At Suetiam supra, septem iam pene Triones
Pellibus insutæ gentes subiere Laponum,
Quippe ferunt illic noctem tris mensibus vnam
Hibernis, toto rutilum quo tempore nunquam
Suspiciunt Solem, dubiæ sed lumina noctis:
Atque ideo integras Phocarum ad frigora pelles
Vrsorumque parant, aptéque hærentibus illis
Circundant agiles artus, expressaque membra:

Nec tamen eſt artis gens hæc ignara Mineruæ,
Pingere acu tunicas, auroꝗ́ intexere veſtem:
Exiguumꝗ́ illi, at validum & verſatile corpus:
Et pugnare pedes norunt, miſſaꝗ́ ſagitta,
Propoſitum longe, aut iaculo contingere ſignum:
Figunturꝗ́ feræ tota regione frequentes:
Non his ortus equus terris, ſed bellua currus
Docta ſubire iugum, & lato decurrere campo,
Moſe æquatur equis parili, villoꝗ́ videri
Haud aſinæ abſimilis, crepitat bifida vngula putri
Crebra ſolo, atꝗ illi ceruos imitata feruntur
Cornua, non ramoſa adeo aut ſurgentia in auras,
Indocilem preſſo niti ſub pondere dorſo
Ad iuga deducunt, curruꝗ́ immane voluto
Tranſmittunt ſpatium, tanto fera robore præſtat,
Quam dixêre Rheen, propriumꝗ́ idioma Lapones
Non intellectum, aut alijs commune ſequuntur,
Flumina alunt multum Borealiaꝗ́ omnia piſcem
Æquora, cetarijs condunt, & frigore durant,
Inꝗ alias vinctis exportant nauibus oras,
Illic aſſidua eſt pariter tris menſibus æſtas,
Ac ſine nocte dies, illic incerta ſilentur
Oppida, ſed tantum caſtrum memoratur Vuardi.
Quos omnes vltra tandem ſi credere fas eſt,
Temperie cœli gens fortunata recedit:
Ardua cui pendens ſupra caput imminet Arctos,
Semeſtrenꝗ́ diem paribus Sol diuidit vmbris:
Quæ ſurgente die feruere, cadente reportant.
Hactenus in Boream trans Iſtri ſufficit amnem
Porrectam vidiſſe plagam, nunc altera in Auſtrum

Porrectam

Ex illo conuersa suis lustrabitur omnis
Cum populis: Primi, quos Istria nutrit, & ingens
Illyricum, qui Pannoniam, camposq́ꝫ patentes
Concelebrant: sequitur pugnantum cominus armis
Mysorum regio, Thracumq́ꝫ asperrima tellus.
Præcipue Euxino quæcunqꝫ extenta profundo
In Boream vergit, neqꝫ enim hæc aut arbore frondet
Frugifera aut segeti pars opportuna serendæ est,
Cætera quæ primo Propontidis æquor ab Ortu
Excipit & rauco prætenditur Hellesponto,
Quæqꝫ Noto obiecta est, & nereio Egæo,
Fœlix, ac nostris regio est ditissima damnis:
Illuc consilijs olim romana sinistris
Migrarunt fata, atqꝫ vrbem translata Bizanti
Imperia auxerunt, sic thracia littora casu
Italiæ creuere, nec est qui vindicet, illa,
Illa sinu coniecta tuo sedet optime Cæsar,
Testatur fidem, atqꝫ animos te principe tollit.
At temerata fides, at Gallicus interturbat
Compressus toties aquila superante tumultus.
Ex Thracibus terris Adriæ ad freta longa minacis
Continui montis dorsum perducitur ingens,
Subditur huic longe vergensq́ꝫ exponitur Austris
Ampla Macedoniæ tellus, latus Adria cuius
Occiduum seruat: sed pars Orientis ab alto
Funditur Ægæo: seq́ꝫ vndiqꝫ commoda victu
Ostentat regio: qua mons celeberrimus Oeta,
Qua celsus memoratur Athos, & Pindus, & Æmus,
Educti cœlo: non hinc procul optima tellus
Thessala: quam Peneus inter deuectus Olympum
M

Perſecat, atq; oſſæ montem; ſpatioq; refuſus.
It medio, & fluuio humectat viridantia Tempe.
Eſt & Sperchius delapſus Pelio ab alto,
Strimonis eſt amnis, gelidis è vallibus Æmi
Præcipitans, tum Dardanios qui flumine montes
Deſerit, atq; ſinum diuertitur Axius intra
Thermaicum, et glaucis miſcetur in æquore nymphis,
Quinquaginta alacri quæ per vada cærula cœtu
Ludunt, atq; vndis frenato piſce vehuntur.
'A Pindo Epirus, poſt Acroceraunia in Auſtrum
Egrediens, Siculo Heſperium latus æquore tingit:
Theſſaliæ Epiroq; auſtralis Achaia tota eſt,
Quam Salis Ægæi pelagus, Mirthoaq; ab Euro
Æquora ſub cingunt: & q̄ breuis Iſthmus ab Auſtro
Dotatæ regnis diſterminat Hippodamiæ:
'A Zephyris Siculum ſubeunt Acheloia pontum
Flumina, Chaonias dextra linquentia terras,
Ætolisq; in agris exercent incita curſus:
Parua ſolo, ſed fama ingens, Heliconia Phocis
Accumbit bifidi ſub verticibus Parnaſſi
Thermopilas inter; quarum iuga plurima ab ortu
In Zephyrum ducunt, Graias ſindentia terras:
Phocida præcipiti Cephiſus flumine tranſit:
Hinc magis auſtralis regio Bæotia ad Euros
Ægæum ſubit æquor: & huic contermina Locris:
Attica Bæotis tellus auſtralior oris;
Citheriorq; Iſthmo, primi ad ſpectacula Solis
Se recipit; qua clara olim terraq; mariq;
Erexere Orbi virtutum lumina Athænæ:
Nunc tantum ſacra caſtrum iacet arce Mineruæ:

Eductis alte non accessibile muris.
Inde Corinthiaco Pelopis se pandit ab Isthmo
Insula sub lucem mediam, folioq; videri
Haud Platani absimilis, terras supereminet omneis
Illustres, quascunq; lacus mediumq; Profundum
Ambit, & exterior circumsonat Amphitrite.
Illa mari Ægæo primos pulsatur in Ortus,
In Zephyrum Ionio; nec gentem amplectitur vnam,
Elides, Argoliciq; illic, populiq; Lacones,
Messeniiq;, sed in medio læta arua iacentis
Archadiæ, è summi cernas speculis Erimanthi.

DE PARTITIONE ORBIS liber tertius.

IAmq; Asiam aggrediar laxis percurrere habenis;
Quam quicunq; valens animis dignoscere amabit
Auulsam in partes, tabulas non segniter Orbem
Perlegat inscriptas, nec nostros ille labores
Auferat ex oculis; at qui componere lectis
Visa sub exemplo, & melius meminisse iuuabit.
Nec te ingratus amor comitum, nec parua manebit
Gratia, diuisas memorantem gentibus oras,
Quæ maria, aëriis quæ flumina montibus orta,
Qui mores, quæ non leuium spectacula rerum;
Tum plausum dabit in te oculos conuersa corona.
Ergo ingens Asiæ primos plaga lucis ad orsus
Porrigitur, galeæ referens insigne comantis;

Hanc mediam dorſo Taurus partitur inito
Littore ab Eoo, montis qua nomen Imæi
Suſtinent, occaſumq́ꝫ petens varieq́ꝫ vocatus
Carpathium in pelagus Pamphilicaq́ꝫ æquora tendit
Rupe Chelidonia, & raucis ſuper incubat vndis,
Hunc intra eſt tellus Aquiloni obnoxia, at extra
Sub medium conuerſa diem plaga vergit & Auſtros.
Ille aditus populis hinc atqꝫ extantibus illinc
Anguſtos aperit, portasq́ꝫ relinquit vtrinqꝫ
Ter geminas, dorſumq́ꝫ premens conuallibus hiſcit.
Tum dextra læuaq́ꝫ ingentia flumina Tauro
Præcipitant, quorum Scythico pars magna profundo,
Hyrcanoq́ꝫ mari, pars altera mergitur Indo,
Perſarumq́ꝫ ſinu. nam treis Aſiæ ora receptat
Hircanum, Arrabicumq́ꝫ, ſinus cui Perſicus aſtat
Proximus, ac pariter pluuiali immiſſus ab Auſtro.
Caſpius à Borea Scythicoq́ꝫ illabitur æſtu
Anguſto irrumpens aditu, qua deniqꝫ pando
Incipit extendi pelago lateq́ꝫ vagari.
Hic prius à Tauro tractus memorabimus omnes,
Quos immane gelu torpens Aquilonis ab oris
Alluit Oceanus: & quos hircania ab Euro
Æquora, ab Occaſu Tanais Mæoticaq́ꝫ vnda:
Ac quibus Euxini ſinus, eſt auſtralis, & Iſthmus
Iſthmus ab Euxino dirimens freta Caſpia Ponto.
Has terras primi Nomades glacialis ad oras
Oceani tenuêre: vagiq́ꝫ immenſa feruntur
Per loca Sauromatę, Scythicū genus, efferaq́ꝫ omneîs
Progenies. his ad montes ſubduntur Aorſi
Caucaſeos, mediumq́ꝫ diem. nam Caucaſus Iſthmum

Claudit, & Hyrcano pelago Pontoq́ propinquat,
Inter vtrunq́ iacens: iuxta insedere Paludem
Mœotæq́, & Cimmerij: post Bosphorum Achæi
Cimmerium, Zigyiq́ viri: tum protinus adsunt
Cercetij, Hiniochiq́, Euxini in littore Ponti:
Ptirophagi, post Hiniochos, Moschiq́ sequentes,
Caucaseas rupes, & tacta Ceraunia cœlo
Attingunt, tum Caucaseis de montibus Austrum
Aduersus, gentes posuêre cubilia Iberæ,
Albanæq́, suum nuper genus vnde tulere
Quiq́ Macedoniam, Pelopis quiq́ arua frequentant
Albani populi, atq́ Albania nomine regna.
Colchis in extremo Ponti summota recessu est,
Colchida Cappadoces subeunt australia Tauri
Ad iuga surgentes. Asianam hanc denique Turcæ
Sarmatiam referunt patriam, qui prodita contra
Cæsaris imperia, & Superum præcepta vocati,
Europæ atq́ Asiæ, sic Dij voluere, rebelli
Imposuere iugum, domitæ nec tertia terræ
Pars reliqua est. Illic autem Rha maximus amnis
Plurima in Hircanum pelagus vaga flumina ducit.
Mæotim Antacites alia de parte paludem,
Lagousq́ petunt. At nunc quæ Caspia circum
Littora versentur facili dicam ordine gentes,
Quæq́ tenent saltus Hyrcano à gurgite in Ortum
Expositos, Tauriq́ latus boreale sequentes
Immanes saltus, Boreæ quos partibus vnda
Alluit Oceani, conuersaq́ littora fines
Stringit in Eoos, vbi sub iuga montis Imæi
Versa in acumen abit regio. Iamq́ ostia primum

Hyrcani ingredior pelagi, strictosq́ meatus,
Oceanum linquens, Nomades qua littore læuo
Primi ostenduntur, Scythicæ quę maxima gentis
Pars, aditum maris Hyrcani iacet inter & Ortus
Æstiuos, campis errans, & littora circum
Oceani, primiq́ Dahæ sunt nomine dicti,
Exin Massagetæq́ Sacæq́, ex ordine contra
Vulturnũ subeunt: atq́ his plaga maxima ab Austro
Omnibus, ac deserta siti prætenditur ora:
Quo medio arcentur tractus discrimine Parthi:
Inq́ Notos obiecta Dahis Hircania contra est;
Massagetis Parthi, aduersiq́ Sacis Ariani:
Ast opibus pollens varijs Hyrcania vergit
Hircanum supra mare; qua lunarier arcus
Incipit in geminos, longè lateq́ refusum
Vsq́ sub Armenos montes, rupesq́ reductas
Medorum: extremis quorum in radicibus adsunt
Albani Armeni, Docusiniq́, Gelæq́,
Anaricæ, Quitijq́, Eurosq́ aduersus Amarbi:
Vlterius Tauri in partes Aquilonibus altis
Obiectas, Parthi pharetra accessere decori
Quos vltra Magdianæ iacet inclyta tellus,
Cincta iugis, tractuq́ vnam se vitibus illo
Pampineis iactans, & aprici palmite Bacchi.
Vltra autem Subsolani spirantis ab aura
Succedunt Arij, Bactriq́, vbi nobile mille
Vrbibus Imperium: dehinc vltima Sogdiani,
Dehinc Seres, sola terrarum Oceanumq́ tenentes,
Post montem immanis producta brachia Tauri
In Boream, latè Scythicum sindentia tractum.

Has terras atq; hæc Scythiæ sæuissima regna
Gens illic obscura solo, atq; ignobilis olim
Obtinet, & populos late dominatur in omnes:
Cui patrij fines gelidi prope flumina Tartar,
Flumina in Oceanum labentia Solis ad ortum
Æstiui: sed iam fœlici Marte subactam,
Per Scythiam insultans sumptis equitatur in armis,
Sæpe etiam Tauri montem, Tanaisue fluentum,
Imperij fines facto progressa tumultu;
Aut Persas adit, aut Rutenos atterit agros,
Atq; illis regni sedes Orientis in ora
Littorea, & Cambal Cathaini vrbs maxima regni.
Tarsia ad occasum regio est, quam plana sequuntur
Turquestæ sola telluris pastoribus aptæ,
Hanc super, in Boream regnum & præclara Corasmæ
Mœnia, ad Hyrcanum fines præfertilis agri
Protendunt, supra deserta Cumania tractu
Lata patet vasto, sine colle, sine arbore tellus,
Cassia cui rursus gelidam super extat in Arcton
Exposita Oceano & sæuis Aquilonibus ora.
Talia ab Hyrcano pelago nunc indita terris
Nomina, in Auroram, quod protinus vndiq; septum
Præruptis memorant circumpositisq; teneri
Littoribus, sed multa lacu congesta profundo
Flumina, sub terris aditu prodire latenti.
Præterea Hyrcano ductos à gurgite campos
Ad Tanaim, & multo viridantia gramine terræ
Æquora, ab Eoo surgentibus occupat armis
Tartarus, & veteres exegit cæde colonos,
Atq; hic Tartarei cœtus celebrantur & Hordæ

Quattuor, hoc populi conuentus nomine dicunt;
Olli contectis agitant in curribus æuum
Instabiles, multumq́ȝ nouis inducere terris
Cura gregem, & capto pro tempore tendere campo.
Ordiar hinc Asiæ terras monstrare patenteis
Qui teneant extra Taurum fœlicia regna;
India prima nouos terrarum maxima Soles
Excipit, inq́ȝ Notos longe patet, Insulaq́ȝ illic
Vltima Taprobane cui aduersa Britannia certat
Productos longe lateq́ȝ extendere fines:
Ergo Caucaseæ rupes, iugaq́ȝ ardua Tauri
A Borea impendent Indis, ex fontibus Indi
Vsq́ȝ sub Auroræ finem; subiectaq́ȝ tellus
Planiciem in magnam decurrit, & æquora supra
Eoi Oceani, & quæ feruidus incoquit Auster:
Indus Caucaseis amnis reuolutus ab antris
Indiam ab Occasu claudit, quam lapsus Imaui
Verticibus montis longo velut æquore tendit
Per mediam Ganges: omneis qui maximus amnes
Terrarum superat, gremio tot vasta resorbet
Flumina, totq́ȝ mari similis perlabitur oras.
Floridus hic populis tractus varijsq́ȝ refertus
Ad vitam cultumq́ȝ opibus, maioraq́ȝ gignit
Omnia, sed sterilis tantum desertaq́ȝ tellus
In Boream est, vastis Tauri sub rupibus, illic
Gens non vna feros exercet barbara mores.
Post vbi se Oceano condentia videris Indi
Flumina, in Occasum pergens, tibi littore primo
Gedrosi occurrent populi; quis deinde relictis
Carmanos multo vescentes pisce videbis,

Et testudineis

Et testudineis sulcantes æquora conchis:
Parthia Carmanis boreali impendet ab Axe:
Vnde abit Oceanum sterilis Carmania in Indum,
Oppositosq; Arabas contra procurrit, vbi arcto
Persicus expatians late sinus influit ore.
Inde sinu iuncti Carmanicaq; arua sequentes
Sunt pharetris Persæ impigri, & qui mœnia Susæ
Qui Babylonis habent, Chaldæaq; rura frequentant.
Media fœlicem cultu stat Persida supra
Caucaseis distincta iugis. at Susa Fauoni
Excipiunt auras, qua Tygridis addita ripis,
'A Borea incumbens Susis fœlicibus arui
Assyria est, maiorq; sedens super imminet illi
Armenia, herbosis pecori conuallibus apta,
Assyrijs Medi, Medis ad lumina Parthi
Assistunt Phœbi primo radiantis ab ortu,
Quin etiam Assyriæ regio trans flumina Tygris
Panditur, atq; illi tellus ascribitur omnis
Quæ media Euphrati fluuio, Tygriq; tenetur,
Namq; ferunt Tygrim Armenis de montibus ortum
Principio manare, cauaq; voragine condi,
Ac subter lapsum Tauro hunc emergere rursus,
Inq; Austros ferri cursu per saxa citato,
Perq; tuos Arethissa lacus: vbi pondera mergi
Apta alibi summa videas fluitantia in vnda:
Ille diu terris fugiens Euphratis in alueum
Abditur, hospitijs vitreis admissus, & ambo
In mare Persarum iuncto simul amne feruntur.
Nec minus Armenis Euphrates ortus ab oris
In Zephyrum vertit, rursusq; inuertit in Eurum,

Et tractum ingentem fœcundaq; circuit arua.
Iam Syriæ fines iam lacte & melle fluenteis
Ingredior campi tractus: quos maximus Autor
Omnibus exorti terris præfecit honore,
Ornauitq; locos humanæ vbi semina gentis
Prima Pater iaceret, postquàm pulcherrima Mundi
Excreuit moles, perfectaq; machina quinta
Luce fuit, fructusq; suos inarata dedêre
Arua Dei iussu, nec qui potirentur haberent:
Hic Damascenis hominem sub imagine vultus
Ipse sui finxit, limumq; animauit in agris
Omnipotens: hic & nostræ firmata salutis
Fundamenta pius posuit, quum lapsus Olympo
Sancta Deus Syrijs pressit vestigia terris:
Fœlices Syriæ tractus, terræq; beatæ:
Vnde genus mortale, sacro ceu fonte per orbem
Fluxerit, unde Fides, & Spes interrita gentis
Christicolæ manarit: ibi imis addita claustra,
Ac reserata patent supremi limina cœli.
Atq; ea non vnam tellus latissima gentem
Accipit, in plures sed enim diducitur oras
Insignes omneîs: quarum celeberrima surgit
Fama Palestinæ subiecta ad sidera terræ:
Huius Idumæa est cedens pars vltima in Austrum.
Petrææ Arrabiæ duris contermina terris,
Æquoraq; in zephyrum tangens Ægyptia: at illam
À Borea atq; Euro iuxta Iudæa recumbit,
Vna Palestino sedes clarissima tractu,
Et circum terræ medium sortita patentis.
Iudæam à Zephyro nostri maris excipit æquor:

Quæ petit hinc ortus, ſubit ac montana Petręæ
Arrabiæ, trans Iordanis progreſſa fluentum,
Aſphaltemq́ lacum: ſupra cultiſſima tellus
Samariæ, in Boream Iudæis aſſidet oris:
Samariæ Galilæa latus cuſtodit in Eurum
Et Boream vergens: Galileæ rurſus ab ortu
Stat Cœleſyria, & Libani iuga prodita ab Arcto
Impendent gemini, cuius de fontibus ortus
Iordanis fluit, & Galileæ illabitur arui
Per medium, diriq́ lacus immittitur alueo
Aſphaltis, demum vitiatis degener vndis.
Ad Libanum & fontem iuxta Iordanis amœni eſt
Damaſcenus ager, Damaſci mœniaq́ vrbis.
Inde ſub occaſum Galilææ è margine terræ
Tota iacet prætenta mari Phænicia noſtro:
Antiochæna ſuper iacet vrbs, regioq́ recedens
In Boream, Caſiusq́ alto mons vertice ſurgens
Emicat ante diem, & ſuprema cacumina candent,
Vnde nouum iubar aſpicias, noctemq́ profundam
Verſus in occaſum, & denſis ſola cæca tenebris:
Sicq́ breui circum reuolutis corporis actu
Apparent vmbræ, & rutilæ ſpectacula lucis.
Non tamen hic omnes Syriæ monſtrabimus oras,
Quam mons Amanus Cilicis abiungit ab agris
In Boream ſurgens. Aſt ordine Cherſoneſſum
Diſſere Muſa mihi, atq́ Aſiam memorare minorem
Incipe: quæ Pontum boreali aſpectat ab Arcto
Plurima, ab occaſu Propontide & Helleſponto
Ægæoq́ mari excipitur, Cretæq́ profundo:
Hinc vertens auſtrale latus Pamphylica pulſant

Æquoraq́, & Cilici iuxta vada cærula Nerei:
Parte alia Armenis Syriæq́ adiungitur oris:
Partitumq́ capit varijs regionibus agrum:
Nam Syriam linquens portasq́ ingressus Amani
Inuenias Cilicum campos: quos vertice ab alto
Taurus, & hinc illinc geminis ceu continet vlnis
Porrectisq́ iugis: ingens iacet æquor ab Austro:
Multaq́ littoribus resident super oppida: quorum
Issus clara sinu longo sedet, Issicaq́ illinc
Æquora nomen habent, fluuium admittentia Cydni:
Qui gelidis Tarsum manans intersecat vndis,
Vrbem olim casu lapsi æthere Bellorophontis,
Nunc ortu insignem rapti super æthera Pauli.
Ad Boream Cilicum portas montanaq́ supra,
Cappadocesq́ minorq́ patens Armenia surgit:
Cappadocum memoratur Halys: celeberrimus amnis.
Thermodoon, claro sparsos vbi puluere vultus
Collaq́ bellatrix in flumine lauit Amazon.
In zephyrum Cilicis hæret Pamphylia terris:
Illic Eurimedon, necnon Cataractes, & Oestrus,
In mare præcipitant, Tauroq́ feruntur ab alto.
Is phrygiam latere aduerso Borealibus auris
Inspicit abiungens, habitasq́ Lycaone terras:
Post Phrygiam, & Galatas, Asiæ borealis in ora
Paphlagonum tellus Euxini ad littora Ponti
Panditur, & fluuio laterali in parte sub Euris
Finit Haly: verum in zephyros subcingitur amne
Parthenio, cui floret ager vicinus, & aptas
Virginibus ripa lætus viridante coronas
Sufficit, impubesq́ rosas ad serta ministrat.

In zephyrum, post Paphlagonas Galatasq́ sequuntur
Bithini populi; quorum ditissima tellus
Euxino à Borea longè subiecta profundo
A' zephyris Propontida habet; qua condita in ora
Calchedon vrbs, vrbem contra & Bysantia regna:
Illic Sangarij Phrygijs educta fluenta
Montibus, in pandas vertunt Propontidis vndas.
Mysia Bithinis iuncta est australior oris:
At Phrygiæ tellus, qua Sangaris editur amnis,
Longius ingrediens expandiur altera in ortum,
Altera ab occiduo subcingitur Hellesponto:
Ambæ aruo insignes, & æquis velocibus ambæ.
Æolis assistit Mysis, ac Troas in Austrum
Finitimæ, aduersæ Tenedo, maris æquora iuxta
Hellespontiaci: crebris quà fontibus Idæ
Mons scatet, & grauibus flauescunt Gargara culmis.
Iasius inde sinus, curuataq́ littora longo
Ioniam tractu exceptant à Troade in Austrum
Expositam, atq́ vrbes Mileti Ephesiq́ tenentem
Egregiè claras: illic reuolutus amœnis
Vorticibus raucos audit Mæander olores.
Æolas, Ioniosq́ vltra, profertur in ortum
Mæonia, extensi cliuis subiecta Timoli.
Mæoniæ fuluis quondam Pactolus arenis
Redditur, atq́ Hermus vicinaq́ prata Caystro
Asia: qua niuei lætis vescuntur in herbis,
Et cantu resonant ripas & flumina Cygni.
Ioniam, Lyciamq́ inter iacet angulus Isthmi
In zephyrum Ægæo, Rhodio pulsatus in Austrum
Æquore: quam Cariam veteres dixère coloni

Plurima complexam Tauri iuga euntia in altum,
Et Lytiæ adiunctam terris, qua cernitur ingens
Pulsaturq́ꝫ Cragi ventis ac turbine vertex.
Finit ab Eoo Lyciam Pamphilica tellus,
Frondibus atqꝫ vmbris nemorum insignita comantū.
Quas inter medio tendens ceu limite Taurus
Vertitur, & curuo prorumpit in æquora dorso.
His Asiæ dictis dimensi & partibus Isthmi
Arrabiæ omissos repetamus carmine fines
Desertæq́ꝫ & Petrææ, & quæ plurima fœlix
Dicitur, ex illis diducta ambabus in ortus
Brumales, ceu missa mari peninsula rubro.
Occiduo Arrabicus lateri sinus hæret, Eoo
Persicus, atqꝫ huius imò deserta recessu
Adiacet, & vastis spargens habet oppida arenis,
Illic & Nomades, & gens exercita prædæ,
Ac longè in solis visenda est Palmira terris,
Vrbs tenues inter riuis vberrima harenas,
Et medium sortita soli prædiuitis agrum.
Arrabiam in zephyrum lapsosq́ꝫ ex ęthere Soles
Desertam, Petræa subit, prolataq́ꝫ finem
Mittit Erithræi iuxta maris æquor, & Isthmum
Isthmum quo medio ponti maria intima rubri
Arcentur pelago & nostris immittier vndis,
Quoqꝫ Asiæ ac reliquo pars tertia iungitur Orbi.
Vrbs hic Petra suæ quodam clarissima gentis
Regia, quam vastæ circumstant vndiqꝫ rupes
Sarracus hic locus, vnde pedes gens dira nefandos
Extulit, arreptum bello Saracena per orbem
Constrauitq́ꝫ solum telis, sparsitq́ꝫ veneno

Maumetem sortita ducem, causamq́ malorum
Tantorum, quo non Stygijs emissa tenebris
Tetrior Eoas vrbes inuasit Erynnis,
Et nunc ille Deum ritu veneratur, at vrbe
Insigni Mecha aut Medina tumulatus, in antris
Vritur infernis, sed quondam obscura Petrææ
Arrabiæ tellus, alio iam nomine claret,
Nam Regio hic Madian, montisq́ cacumina Synæ,
Vnde datæ geminis populo inspectante tabellis
Descriptæ leges, summaq́ apparuit arce
Ipse viro Pater omnipotens, faciemq́ retexit.
Qualem sidereo magni admirantur Olympo
Cœlicolæ, atq́ illo stantes in lumine gaudent,
Arrabiæ populi Nabathæi regna Petrææ
Magna tenent, his Caluasij, seq́ Agrees addunt
Finitimi: Desertam autem paliterq́ Petræam
Australi sub fine tenent iuga plurima montis
Inter vtrumq́ sinum medij, quo limite in ortum
Sideris hyberni fœlix descendit opimæ
Arrabiæ regio, miræ quam maximus orbis
Conditor excoluit, luxuq́ opibusq́ beauit
Ille dedit Myrrhæ lachrymam, nemus ille sacrauit
Thuriferum, & terris calami diffudit odorem.
Arrabicis, Casiamq́ Deo plaga præside gessit.
Non alio melius auri sub Sole metallum
Gignitur, hic lectis nec abest sua gratia gemmis,
Sunt montes, riuis sunt læta rigantibus arua,
Sunt populi, quorum diti potiora Sabæi
Arua solo exercent, solis immansit Erembis
Pauperies, soli montes salebrosaq́ saxa.

Circumeunt, nudiq́ ferarum more vagantur,
Vltimus Arrabię in zephyrum mons Caſſius Iſthmū
Continet, interni medius, Rubriq́ Profundi:
Inde ſub Ægyptum ſtrata iacet ater arena
Campus, & intectæ ſubeunt volitante lacunæ
Puluere, qua temere gradientum illapſa repente
Corpora merguntur, fundoq́ vorantur hianti:
Hac Arabes terras necnon maris altera Rubri
Littora, in Occaſum brumalem extantia ſeruant,
Arſinoemq́ vrbem, Danaonq́ in littore portum,
Vnde auſos foſſam Nili perducere in alueum,
Infœcunda tribus deterruit altior vlnis
Æquoris vnda ſolo: mox vrbs Berenicis in ora,
Vnde iter ad Coptum, pelago manet addita Rubro.
Protinus haud alio ſequitur gens barbara tractu
Veloces Troglodytæ, & quibus inter opimas
Plurimus eſt populis ſerpens querentibus eſcas,
Candæi interius ſtantes. at littore in ipſo
Altera Panchryſos Berenicæ vrbs nomine fertur,
Tertia tum reliqua eſt, Rubri quæ faucibus inſtat
Æquoris: hinc longo vertuntur littora ductu
Ad Drepanum, & Moſelitæ capita aſpera rupis,
Troglodytæ habitant & barbara nomina gentes.

De

TErtia pars superest dicendis Aphrica terris
Integra,& in speciem mensæ prolata,nec vllo
Intersecta sinu: cuius Borealis ab alto
Alluitur nostro,pelagoq; extenditur ora,
Recta sinus præter paruos, Syrtesq; vadosas.
Atq; alius primo Nilum designat ab Ortu:
Alter Erythreum statuit mare.Rursus ad Austrum
Aphrica progrediens Capricornũ in acumine transit,
Oppositumq; Arcto tantum subit angulus astrum,
Abscedunt Adriæ quantum maris æquora Cancro.
Ast inter Tropicos cœlo substrata calenti
Plurima iactata sterilis spatiatur arena.
Hesperium ad finem Libyæ se maximus Athlas
Erigit,oblitusq; sui mox nominis,Ortum
Hinc petit,& longo profert iuga maxima versu:
Ac nunc in Boream,nunc & sinuatus in Austrum
Innumeros spargit populos,& diuidit oras:
Donec Erythræum tandem contendat in æquor:
Floridus in Boream,torrenti squallet ab Austro:
Insperso niuibus trans nubila vertice surgit:
Atq; ea quæ Boreæ medio propiora Profundo
Dat latera,& victu faciles iuuat ire per oras.
Occiduo prætenta mari Maurusia tellus
Incipit Hesperio qua se Ambelusia rupes
Immittit pelago,borealisq; angulus oræ:
Hinc subit Aurorã,ac Mulucham prope desinit amnẽ:
Alluitur vero in Boream,maris æquore Iberi,
Herculeoq; freto. nunc Mauritania partes

Scinditur in geminas : quarum quæ vergit in æquor
Athlantis, Tingitatæ data nomina terræ,
Vitibus heſperidumq́ hortis memorabilis aureis:
Hæc maris Oceani longe ſinuata ſecundum
Littora deueniens, Cancri ſub fine propinquat
Solſtitio, & mirum Athlantis ſubit intima montem :
Getulæ, Autololumq́ tenent ſpatia vltima gentes :
Aſt Eurum contra, montes habet edita tellus
Perpetuos, longo in Boream qui deniq́ ductu
Contendunt Abylam iuxta, Calpemq́ columnas
Herculeas, ſeptem fratres ex ordine dicti.
Altera pars Libyco, à Borea ſubiecta profundo eſt
Cæſarienſis, habetq́ autore à Cæſare nomen :
Atq́ illam viridante ſolo, atq́ vligine glebæ
Fœlicem, ex Ortu Numidis diſcriminat agris
Ampſaga, in internum pelagus delapſus ab Auſtro.
Hinc Numidæ incertas ſedes ad flumina Tuſcæ
More tenent Nomadum, campoq́ vagantur aperto:
Nulla domus, natos vectant paruosq́ penates,
Et mutata gregem balantum in paſcua ducunt:
Veloces paſcuntur equi : tegit aſpera paſſim
Sylua feras, grandesq́ cauis ſtant rupibus vrſi :
Et Numidum venis marmor plaga nobile monſtrat.
Maſſyli excipiunt terras auſtralibus oris.
Inſequitur Numidis hærens minor Aphrica Tuſcę
Ab fluuio, & capitis porrecta Metagonis angulo,
Ad Borion, Syrtis magnæ quod in æquora prodit.
Vlterius caput, & finem ſubit vſq́ Cyrenes :
Fronte gerit medium pelagus, tresq́ Aphra receptat
Terra ſinus, pariterq́ tribus procurrit in altum.

Verticibus,ſaxo qua fracta ſubalbicat vnda:
Ac prior Hipponis Rubricatum ſuſcipit amnem
Hoſpitio ſinus: aſſiſtit cui deinde ſecundus
Pulchrior, & Bagradæ admiſſo memorabilis amne,
Viſendaq́; vticæ & ſtratæ Carthaginis ora:
Hic infuſa palus pelago,quæ mœnia Tynis
Intima habet,ſummisq́; Goletæ in faucibus arcem:
Qua Tyrij iam nunc patriaq́; & rege recæpto
Debita ſacratis reddunt ſolennia templis,
Erectumq́; tibi Cæſar poſuere Trophæum.
At Libyphænices ſpatia hinc à littore gentes
Interiora tenent,longeq́; vberrima quorum
Bizazænus ager centeno fœnore diues
Alluitur Bagrada Athlantis de vertice lapſo.
Tertius hinc Libyæ ſinus eſt;qui protinus ingens
Scinditur in geminas Syrtes,vnamq́; minorem.
Maioremq́; aliam refluo vada feruida fluctu,
At Libycis fines regnis vrbiq́; Cyrenes
Incertos olim fratres ſtatuere Phileni
Maiorem ſupra Syrtim: qua prodita late
Vaſta iacet campi facies,ac nulla viarum
Semita,ventus vbi tenues dimouit arenas
Crebrior, & ſparſo veſtigia puluere texit:
Aſtra viam ſignant cœlo ſpectata ſereno.
Nec procul hinc Tritone palus Tritonia ab amne
Quem recipit, paruæq́; emittit in æquora Syrtis:
Et Cynips fluuius,longo qui maxima tractu
Per deſerta fluens Syrtes illabitur inter
Cynipheamq́; oram,fæcundumq́; irrigat agrum.
Ergo Auſtrum contra penetrat minor Aphrica longe

Vâſtior, Athlantiſq; in eam inclinantia montis
Trans iuga progreditur: donec Getulia tergo
Immineat, fluuium attingens Getulia Nigrim,
Vaſta, immenſa, ferax ingentum terra leonum.
Hic alios, quibus haud vllum eſt inſigne iubarum,
Sæua creat pardis vtero congreſſa leæna,
Quũ furit in Venerem, & dirus mouet arma Cupido;
At ſæuas alij proles generoſa leonum
Attollunt iras animis, longeq; fluentes
Excuſſiſſe iubas gaudent, per grandia colla
Impauidi: non his hoſtes, non vulnera curæ:
Sunt quibus haud tantum paruo ſtat corpore robur;
Criſpantesq; iubæ, & graciles de pectore villi
Attenuant molles animis leuioribus iras.
Plurimus aſſiduo Syriæ labefacta calore
Arua colit, Libyæq; leo deſerta peragrat;
Eſt etiam Neſſi ripas Acheloiaq; inter
Flumina, magnanimum regio haud ignara leonum;
Quinq; recens primo partu fœcunda leæna
Dat capita, hinc alios minuens ex ordine fœtus
Singula deperdit, quinto vt ſterileſcat ab anno:
Naſcuntur vero informes ſine nomine maſſæ
Haud catuli in faciem carnis, primoq; moueri
Indociles ortu: ſexto quum deniq; menſe
Vix etiam preſſis tollunt ſe in corpora plantis:
At magis ardenti ſimul incaluère iuuenta,
Venatu nemora exercent, monteſq; per altos
Omnigenum formas agitant, & monſtra ferarum,
Lyncaſq;, horribileſq; lupos, Sphyngaſq; fugaces:
Alternis igitur ſumunt alimenta diebus;

Aut saturi in quartam ducunt ieiunia lucem;
Sæpe inuenta famem rabidi solata iuuenca est,
Dum viridi in campo teneras depascitur herbas,
Auxiliumq́ꝫ fuga trepidus quæsiuit arator,
Ille rugit, furit ille animis, atqꝫ ore crepanti,
Vngue ferox, sternit nemora & virgulta refringit.
Tum magis atqꝫ magis, quando fera prælia cordi,
Æstuat: hic multa demens se concitat ira;
Hic lateri & versa tergo dat verbera cauda;
Ac rapido instantem cursu defertur in hostem.
Verum vbi iam vires minuit longæua senectus,
Eluduntq́ꝫ feræ cursu falluntq́ꝫ sequentem,
Tristior hinc morsus humana in corpora vertit
Sanguine rorantes, hinc altas circuit vrbes,
Terribilemq́ꝫ viris infert se ad strata viarum,
Deprensosq́ꝫ rapit lacerans, frangitq́ꝫ, fremitq́ꝫ.
Ne mihi tum Libyæ vacuis contingat in aruis
Errare, & tali venientem occurrere monstro.
Nec tamen ille omneîs irarum exuscitat ignes
Fœmineo generi; nec humi deiecta retractat
Corpora contemnens, & adhuc quos turgida lactant
Vbera, in vacuam penitus trahat improbus aluum.
Creditur & miseris animos lenire querelis,
Mulceri alloquijs, & vinci posse precando:
Quæ quum summa feris animorum gloria surgat,
Cristatas horrent volucres, strepitus rotarum,
Et visæ mira quatiunt formidine flammæ;
Illud & ardentum minuit decora alta leonum,
In caput obiectu quoniam velaminis illæ
Compressę resident iræ stupefactaq́ꝫ corda.

Hac ſpectata tenus fului natura leonis
Iam ſequor, inq́; alias hinc me rapit impetus oras.
Pentapolis vaſto Cretæ ſubiecta profundo
Terra, Philenorum ad tumulos Marcotide ab vnda
Sat medio: atq; olli Catabathmos vallis ab ortu eſt.
Quinq; ſedent illic vrbes ex ordine rectis
Littoribus: maior, rerumq́; potita Cyrenæ eſt.
Haud procul à pelago: frondet namq; arbore littus
Exigua, populisq́; frequens & gramine campus,
At paulò interior regio negat aſpera frondem,
Et fontes pecori atq; herbas præbere recentes.
At veluti vndoſo ſparſæ ſtant æquore terræ,
Sic aliquæ è vaſtis emergunt Inſulæ arenis,
Fœcundæq́; ſolo & riuis manantibus oræ.
Intima Syrtis habent Naſamones littora magnæ,
Illiſas qui ſæpe vadis deprendere ſueti,
Et ſpoliare rates, gentis ſubiêre triumphos
Romuleæ, & iuſtas penderunt ſanguine pœnas.
Hinc procul interius longa in deſerta recedunt
Palmiferi Augylæ: quorum porrecta per agros
Ducit in Ægyptum Mauris via trita profectis.
Hic etiam in medijs Pſylli monſtrantur arenis
Sub Licomede lacu: quorum exitialia quondam
Vipereo generi fuerint, & tuta venenis
Corpora. at innuptos longè Garamantas in Auſtrum
Arcet ab Augylis regio, & deſerta dierum
Biſſenum ſpatia: hinc vaſti ſola prodita campi
Vſq; ſub Ægypti finem: quo tramite lato
Circumfuſa vagis tellus Ammonis arenis
Incolitur: tecta exciſo ſale condita ſurgunt

Quæ ſubit Ægyptum regio Mareotis habetur
Marmaridis, illicq́ꝫ lacus de nomine dicta eſt.
Nunc age Niliacos fines, quibus ortus ab oris
In mare procurrat fluuius, quæ temperet arua,
Accipe, & Æthiopas medio ſub Sole calentes
Æthiopas, inter Tropicos ſurgentia Ponto
Sidera qui inſpectant, & qui ſubeuntia Pontum
Pharuſijq́ꝫ, & Gymnetes, imisq́ꝫ Perorſi
Subiecti Mauris, & qui memorantur ab amne
Nigritæ, Æthiopas terris qua diuidit Aphris:
Stant & Agriophagi, & rictu quibus ora canino:
Omnibus his deſerta ſolo ſabuloſaq́ꝫ tellus
Adiacet auroram contra, & Garamantas ad Ortum
Diſtinet oppoſitos, & ſtridentes Troglodytas:
Qua variȩ gentis ſpecies, & monſtra feruntur,
Ægipanes, Satyri, quorumq́ꝫ in pectore vultus
Blemmij, Himantopodes, necnõ inſomnij Athlantes,
Quicꝫ oculis (ſi fama fidem non vana ſecuta eſt)
Quattuor inſignes auſtrali in littoris ora:
Verum ideò præſtare oculis & lumine quarto
Credita gens, quia perſpecto certiſſima ſigno
Tela procul iacit, & contento deſtinat arcu.
Atqꝫ omnis primum quæ non expreſſa parentem
Forma refert Adam, porrò genus eſſe ferarum
Cẽſetur, numeroq́ꝫ hominũ atqꝫ ex ordine dempta eſt.
Æthiopum claros efflans mons arduus ignes
Imminet auſtrali pelago; regioq́ꝫ Agiſimbæ
Exuperat finem Capricorni, & cuſpide terræ
Exit in Antarcton, ac ſpe bonæ ab omine dictas
Definit ad cautes; longos qua flectere curſus

Sciret Erythræum penetrans Lusitanus in æquor,
Et cinnamiferos audax accederet Indos.
Æthiopum terræ extremi primiq; Agisimbæ
Assurgunt lunæ montes: vnde orta fluenta
Præcipitant, factoq; lacu se plurima condunt
Stagnantis Nili in montis radicibus imis:
Tum subeunt terras, ac mox enata resurgunt
E tenebris, atroq; insurgere visus ab orco
Astapus in Boream mediis luctatur arenis:
Interea largo deprensas flumine terras
Accipit, innumeras & circumuoluitur oras,
Diuidit ac sese ad Meroem, diductaq; pandit
Brachia & acceptam geminis complectitur vlnis,
Illa gerens populos, clypeiq; imitata figuram,
Est auri argentiq; opifex, dat oromata tellus,
Fert Ebenum, nec nulla cauis æra eruit antris,
Illa caput regni Æthiopum moderatur habenas,
Liuentesq; domat populos, bisq; imminet anno
Cinthius, atq; illi supra caput arduus astat,
Nec minus est illic campus viridantibus herbis
Lætior, & syluis saltus vmbrantur opaci,
Hinc alias circum terras inflectitur, ac se
Diuidit, atq; in se rursus redit amnis in vnum:
Qua fluuium longa reuolutum ambage viarum
Æquoreq; errantem lato vocat accola Sirim:
Nec prius est Nilus, quam tota ingentia iungat
Vallibus, atq; inter montes liquida agmina condat.
Hic vero infractæ scopulis spumantibus vndæ
Præcipitant, crebrisq; ruunt strepitantia saxis
Flumina, & attonitas ingens fragor opprimit aures:
Donec

Donec in Ægypti fines deiectus ab alta
Rupe Catarrhactę dorso procumbat, at inde
Impete sedato cursus infrenat aquarum:
Ac veluti fesso spatijs Elephantina sese
Exhibet, ille sinu mediam deprendit, & vndis
Continet, ac iuxta linquens ad dextra Syenem
Littora, suppositam Cancro præterfluit vrbem,
Thebeumq́ petit longe placido æquore campum:
Qua centum steterant quondam clarissima portis
Męnia, & immiti structę Busiride moles:
Nunc vrbs parua quidem manet, at ditissima Thebe:
Hic fossa ad Coptū penetrās: dehinc Memnonis olim
Regia: tum fluuium exceptans Canis Insula longe
Deuectum sequitur: cui protinus Herculis instat.
Hactenus inculsi mediam Thebaida montes
Pertingunt. regio hinc putri planissima campo
Incipit Ægypti, fluuij qua littore dextro
Sunt Cahiræ, & Babylis veterem superantia Thebē
Mœnia, tam late vicos complexa patentes:
Traianus Babylim mediam interlabitur amnis
Niliacas Arabum terris emissus in vndas:
Opposito in zephyrum Nili manet inclyta Memphis
Littore, surgentes flammas imitata figura
Pyrramidum, & moles cœlo mirata minanteis.
Extremo sub fine auras spirantia nullas
Flumina labentis Nili in diuersa recedunt,
Fœliciq́ solum ditant vndantia limo:
Tempore quo terras findit Canis ardor hiantes,
Liquatiq́ cadunt canis de montibus amnes:
Atq́ ita septeno sparguntur in æquora fluctu.

Iamq́ adeo nostri partes transegimus Orbis
Tergeminas, summasq́ procul cognouimus oras:
Apparent aliæ diuersa in parte minores
Oceani extantes liquido de marmore terræ:
Namq́ petens Indos postquam Lusitana triremis
Soluit Vlysbona, & gelidis data lintea Cauris:
Principio portum Sanctum subit. Insula contra
Quæ iacet Athlantem, & lectissima mella ministrat.
Hinc adit & cannæ fœlicem melle Mederam:
Et fortunatas septem longo ordine terras,
Egregiasq́ omnes: sed quarum vertice montis
Conspicuo cunctis Teneriffe excelsior ardet,
Atq́ alijs fecit non parua Canaria nomen.
Mox inuecta sinum Dargin petit ærea puppis,
Insula littoribus residet qua proxima Dargin,
Parua quidem, at fessas quæ munitissima naues
Instaurat. caput hinc Album quod in æquora prodit
Cernitur: inde sinum Senegę de flumine dictum
Inuadit, superatq́ virens caput vncta carina,
Æthiopum syluis semper frondentibus illo
Littore conspectis: contra iacet Insula Visus
Dicta boni, pluresq́ aliæ pariterq́ virentes.
At fluuius Senegę mutato nomine Nigrim
Quem perhibent, spatia albentis vastissima campi
Æthiopum primis dirimit viridantibus oris:
Vlterius regnum ac fluuij procul ostia: Gambræ,
Et caput apparet Sagres, tum visa sequuntur
Fluminaq́ & cautes rubrum traxisse colorem,
Gorgones Hesperięq́ illinc stant Insulę in alto,
Hesperio Cerati aduersę, quo deinde relicto.

Curuantur maria, & fluuij mox oſtia Palmæ,
Et Melli regnum, ſinuataq́; littora cernas,
Vſq; bonæ accedens Spei caput: vnde reuerti
Sub medios Soles, curſumq́; inflectere ſenſim
Incipiunt læti nautæ, Praſſumq́; relinquunt
Inſtantem pelago montem: tum regna Melindæ,
Et Troglodytas, obuerſaq́; littora ad Ortum,
Barbaricumq́; ſinum linquunt, atq; æquora Rubri
Tranſmittunt pelagi: contra Calicutia tellus
Excipit, huc curſu tandem defecta carina
Intrat odoratæ portus emporia terræ.
Spei aduerſa bonæ capiti Laurentia conſtat
Inſula; littoribus ſubiecta Achiloa Melindæ eſt,
Zapharaq́;, immenſis auri celebrata metallis:
Andradida Arrabiam contra iacet: Organa Perſas:
Taprobane medijs reſidens auſtralior Indis
Obijcitur, ſtagnum gremio quæ maxima Lebim
Continet, vnde procul gemini in diuerſa fluenteis
Erumpunt amnes, ſubiectaq́; in arua feruntur.
Interius medio in curſu ſtat Solis ad Indos
Inſula, Nympharum viridi quæ in marmore ſedes
Omnia vitales ſpirantia conficit auras.
Quin etiam Indorum de littore Cherſoneſſus
Aurea Gangetico ac Magno velut inſula prodit
Interſepta ſinu: Malachæ qua Maximus Infans
Mœnibus exacto victricia ſigna tyranno
Impoſuit, ritusq́; ſacros, atq; addidit arcem,
Hinc aliæ auſtrali & pelago ſunt Inſulæ Eoo
Exiguæ, ac magnæ, atq; habitæ mortalibus, & quæ
Gente vacant; quarum numerumq́; & nomina fari

Difficile est, notasq; magis percurrere præstat,
Gentibus informem Anganiam, ditesq; zaphiris
Celamq;, Saylamq;, & purpureis Amethystis,
Sandalicis Necuram syluis, Iauamq; minorem,
Maioremq;, ambas piperi spicæq; feraces:
Hic Garyophylli Monochan, lectissima ditat
Camphora Bornæam, celebrata Miristica Bandæ est:
Quid memorem Scoyram? quid quæ borealior extat
Insula Zipangri, rubræ ditissima tellus
Margaridis? lucet regalibus aurea tectis
Lamina, & immisso largè prætenditur imbri.
At non tam crebræ memorantur in ęquore terrę
Arctoi Oceani, qua Rex dare iura Britannus
Anglię, Vualię, Cornualię, Scotięq;,
Dicitur: has omnes producta Britannia in oras.
Huic minor à zephyris assistit Hybernia longè
Sęuior, atq; magis nautis incognita nostris:
Exiguę has intercedunt Mona, Vectis, & Andros:
Quas super ad Boream terdenę in gurgite vasto
Orchades, inter se spacijs ęqualibus absunt:
Hinc alias Verigon longè super eminet omnes
Maxima, ad extremam pergens qua nauita Thulen
Tendit iter velis gelidoq; agitatur in alto:
A zephyris Thulem propior Grolandia tellus
Respicit: huic ingens subiecta Bachallaos ora,
Nondum exploratæ penitus, sed littore ad Austrum
Perpetuò inflexæ, longè in zephyrumq; reductæ,
Hinc Laboratoris tellus stat Hibernica contra
Littora, in occasum Solis, quæ maxima rursus
In zephyrum longè vertens, sinuatur ad Austrum:

Atq; illam oblungo veluti freta ducta canali
Orbe alio abiungunt: populorum plurima terras
Vis habet: & præ se mites placidosq; ferentes
Ostentant vultus: at pinifer ora ministrat
Nauibus ingentes malos: hic prima Sienchis
Iam Laboratoris nostris plaga cognita terræ;
Mox & Cyrtanei inuenti, & ratione vigentes
Ascaletæ, exemptas auium rutilantibus alis
Nectere qui pennas variæq; intexêre norunt:
Est etiam Chalco regio, sunt plurima culti
Arua soli, necnon horrentibus aspera dumis.
Ac niueo ventos superans mons vertice fumat:
Hic lacus est, salsis latè stagnantibus vndis,
Qua medijs regalis aquis pulcherrima visu
Stat Venetæ exemplo fundata Themistitan vrbis
Metropolis, sedes magni ditissima regni.

Rursus ab Hispana ventis vrgentibus ora
Insulæ ad Occasum querantur in æquore vasto
Expositæ, Phœboq; viam ducente sequamur
Antipodum in patriam, Mundi noua regna reperti:
Vsq; per hesperios fines subeamus Eoos,
Circuitu & ducto sub terris vndiq; cursu.
Namq; decem versæ in Zephyrum sunt littora contra
Galleciæ Cassiterides: qua maxima plumbi
Vis albi nigriq; cauis educitur antris:
Atq; hinc brumales longè sulcantibus Altum
Solis in Occasus, occurrit in æquore tellus
Desseadæ, & Crucis, & pulcherrima Matinine,
Fœmineis lustrata choris: tum cernere cursu
Haud alio est Buchumāq;, & fluminibus Guadalupen:

Quattuor irriguam, & Diuę de nomine dictas,
Ac Domini: tum quę à monte appellata Ferato
Ardua; & excelsis pariter plaga montibus horret:
Canibalis infestę omnes: qui more ferarum
Artubus humanis inhiant, & lintribus oras
Circumeunt, prædamq́ hominum sectantur opimam
Corpora, deceptas tam dira insania mentes
Abstulit, ah domitæ tandem masuescere gentes
Incipiant notaq́ Deum pietate vereri,
Hinc alijs scatet Oceanus circumfluus oris,
Ægæi qualis terris aspersa profundis,
Est facies, Pardiq́ notis variantia terga.
At Boreale magis dextraq́ secantibus æquor
Insula in Occasum folio assimilata figuram
Castaneę occurrens oculis Hispana propinquat
Ingens, ac geminis nuper regnata tyrannis:
In medio tellus montes Cimpaugis in altos
Erigitur, partesq́ illinc labuntur in omnes
Quatuor Arebij, Sommæq́ emissa fluenta,
Atq́ Lachen, Maibasq́ Noti diffusus in oras.
Nec vero Hispanis concesserit insula terris
Semina humo vegetare, citosq́ effundere fructus:
Adde q́ hic fontem comperta bituminis edit
Penuci regio: cuius pice promptior usus
Rimosas linire rates: at Cynthius ardens
Depilata virum rebusq́ ignaua gerendis
Corpora, subnigro tingit nec magna colore.
Hinc Cuba progressis ingens apparuit vltra
Insula; quam calidis fluuius perlabitur vndis.
Nec procul vndanti spumant vada salsa refluxu

Incita, & inspersum ceu polline fluctuat æquor.
Non alio Iamicam speculantur in æquore nautæ
Molli assurgentem sensim circum vndiq; cliuo,
Dum subit ad medium, qua se tum vertice summo
Exuperat, solersq; illi ac genus acre virorum est,
Et populum ingentem fœlicibus educat aruis.
Ast Æquatorem propius Cozumela recessit
Pana soli facie, florentisq; insula campi,
Vnde procul suaues pelago difflantur odores.
Huic ingens auras contra Iucatana Fauoni
Hæret in Occasum; magnæ qua moribus vrbes
Compositis, priuæq; domus populiq; reguntur.
Hinc aliæ atq; aliæ tractu sunt insulæ eodem.
Elisiæ, si iam puerorum sanguine diras
Defœdare manus vetitæ, cæsisq; litare
Virginibus, tandem cœlestia numina in vno
Trina fide aprendere, Crucisq; piamina sanctæ.
Mox Vrabæ sinus in zephyrũ, Nortumq; profundũ
Spargitur, obiectoq; noui deprenditur Isthmo
Orbis, & australi Suroq; arcetur ab Alto;
Namq; vltra late Surum diffunditur æquor.
Hic Vrabæ confusa sinu Daniena fluenta
Occiduum linquunt Orbem, quo littore pulsis
Regibus Hispanæ deducta Colonia gentis,
Hunc etiam deuecta sinum voluuntur in imum
Flumina Dabaidæ portis rumpentia septem.
Hic memorare nouas ex Æquatore patenteis
Incipiam terras, Antarctica sidera contra
Expositas, vltra Tropicos, & in angulum euntes,
Quæq; soli faciem fermè duxêre triquetram,

Et latus obiectant longe Borealibus auris
Excultum, populisq́ꝫ frequens, atqꝫ vrbibus omne.
Huius ad Auroram sanctæ Crucis angulus Aphros
Hesperiumq́ꝫ Ceras contra, & caput aspicit atrum.
Atqꝫ hic prima sedens boreali Tambala tractu
Plurima in Oceanum regio de montibus vrget
Flumina, queis multo dulcis sapor immanet Alto:
Ac sinus est quo Margaridum conchilia egenis
Gentibus æquorea nonnulla leguntur in ora.
Hinc Curtana sequens producitur optima tellus
In Zephyrum, cuius placidæ commertia gentes
Nostra petunt, vltroq́ꝫ vocant in mœnia vectos:
Excipiunt imbres folijs & lignea palmæ
Tecta tegunt frondes: ipsi nudata gerentes
Corpora delectis hinc vnionibus aptant:
Multaq́ꝫ visuntur syluis animalia in altis,
Et pictæ volucres circum nemora auia lustrant.
Occiduos vltra ad fines directa secundum
Littora Chanchitis fertur mitissima tellus.
Quippe vbi nulla doli species aut noxia genti:
Nec struere insidias animis nec lædere norunt:
At non fœminei tardat custodia sexus.
Atqꝫ ea torrenti quanquàm plaga subdita Zonę est,
Nulla tamen torret Solis violentia terras,
At ver perpetuum & tepidas sine frigore luces
Experiuntur, & assiduis prouentibus agri,
Totaq́ꝫ Gossipio est nullo plaga fœta colente.
Vlterius contra Zephyros pulcherrima Tempe,
Et riguo spectanda solo viridaria frondent:
Illic eximie fœlix, at inhospita tellus,

Et populi

Et populi alterius fugiunt consortia gentis,
Missilibusq; arcent peregrinam à littore classem.
At latus Auroræ, Pariamq; australibus auris
Obiectam, ductasq; Draconis ad ostia terras,
Innumeræ celebrant intra & circum vndiq; gentes,
Multaq; littoreos contra iacet insula tractus:
Hic bene compositos artus, nudataq; membra
Nil efferre palam pudet, aut gestare verentur:
Hic placidæ aspectu & facies terebrantur honestæ
Ignibus impressis, interq; foramina gemmas
Plurima concinnant, sexuq; ea cura virili est.
Vlterius Suri nautis quesita Profundi
Littora lustrantur, gentesq; & nomina Regum
Et Caxamalchæ memorant prædiuitis vrbem.
Hinc etiam cursu ad Moluchas contendere terras
Instituunt, cœloq; notant noua signa sereno,
Donec in Eoos fines Cathaynaq; regna
Orbe pererrato pelagoq; hispana voluto,
Deueniat classis, nec sit locus vndiq; terris
Exiguus, nec sit magno sparsa æquore tellus
Optima quam lateant patefacti nuntia cœli,
Maiestasq; Dei qua non audita Deorum.
Quin globus atq; omnis deuexi machina Mundi
Structa Deo mandante, Dei virtutis imago est:
Ille hominum sensum exuperans, & debile lumen,
Haud aperit sese nobis, neq; libera monstrat
Ora, sed in speculo veluti & sub imagine præbet
Visendum interea, & multa mercede colendum:
Nos dilecta Deo quæsitaq; sanguine proles,
Quum cœli ornatum aspicimus, voluentiaq; astra,

Et gemina aetherco labentia lumina Mundo,
An rerum tantarum opifex, genitorq́ latebit
Omnipotens? an non illum coluisse iuuabit
Qui Soli impartit radios, qui lumina cœlo,
Dat motus, retinetq́ Polos, atq; influit astris?
Ac si quis iacto florentem semine campum
Insequitur, gaudetq́ tuens vt pabula surgant,
Vt lætæ segetes, vt se noua suggerat arbos,
Et desecta sua pubescat vinea fronde,
Quiq; vice Autumni capitur, specieq́ locorum,
An spirare Deum campis non norit in illis?
Ac notum æterno non illum ardebit amore?
Vmbrantem syluas, frugesq́ per arua ferentem
Et corrupta modis animantem semina miris.
Si vero thalami & dilectæ gaudia prolis
Pertentant, iuuat in gremio languescere amatæ
Coniugis, & castos sobolis producere fructus.
At bona, læticiamq́ tori, floremq́ iuuentæ,
Quæq; animi optatæ dotes, quæ gloria formæ est,
Ipse dedit: Deus ipse animos, sensumq́ ministrat,
Quæq; suos æquant obiecta iuuantia sensus.
Ac si cara adeo, si quem peritura morantur,
Ille quidem penitus diuini Luminis expers,
Inualida obfusas concœpit mente tenebras,
Si non æternum pulchriq́ boniq́ Parentem
Prætulerit, gratisq́ animis veneratus amabit.

Finis.

Ecquis in Aonio defessus vertice sedit,
Ecquis Castalias arridus hausit aquas?
Nulla quies reparat fractos his rupibus artus?
Sedat anhelantem Lympha nec illa sitim?
At pius humanos miserans leuat ipse labores
Christus, at æterno pectora fonte rigat.

AVGVSTÆ VINDELICO-
rum Philippus Vlhardus excu-
debat. Anno
M. D. XLVIII.

See [illegible] N° 284 + Add No 166 (does not list fol. F1)
"The poem ac [illegible] [illegible] is
very interesting to the
American [illegible]" ([illegible]) see P3 recto

Agosti (from Bergamo) 1509-58

